

DISQVISITIONES DVAE HISTORICO - ANTIQVARIAE

PRIOR

DE

VETERVM SEPTENTRIONALIVM INPRIMIS ISLANDORVM PEREGRINATIONIBVS

IN QVA

Ex antiquorum Islandorum peregrinandi ſtudio, eorumque de peregrinationum vſu et neceſſitate ſententiis, politi populi mores adſtruuntur, et Hiſtoricorum Islandicorum auctoritas, vetuſtorum Manuſcriptorum ſide vindicatur.

POSTERIOR

DE PHILIPPIA

SIVE, AMORIS EQVINI APVD PRISCOS BOREALES CAVSIS,

PER

IOHANNEM ERICI,

ISL. IN COMMVNIT. REG. DECAN.

LIPSIAE,

APVD FRANC. CHR. MVMME.

BIBLIOP. HAFNIENS.

CIↃ IↃCCLV.



DISSERTATIO
DE VETERVM BOREALIVM INPRIMIS ISLANDORVM
PEREGRINATIONIBVS.

CONSPECTVS.

Argumenti, ad politos gentis Islandicae mores, et Hiſtoricorum Islandicorum fidem demonſtrandam, a peregrinationibus ducti, robur et vſus examinatur. §. I.

CAP. I. *De peregrinationibus in genere, veterum de eis placita recenſens.*

Praecipuae apud veteres peregre eundi rationes, ſtrictim enumerantur. §. II.

In ſpecie, rerum alibi geſtarum notitiam, priſci boreales, ab hoſpitibus et aduenis quibuscunque, anxie quaerere ſoliti. §. III.

Eandem Islandi, a ſuis peregrinantibus, in patriam reducibus, ſummo ſtudio poſtularunt. §. IV.

Peregrinationes, ſcientiae et ſapientiae adminicula olim Islandis creditae. §. V.

Hinc eadem *Stulti*, quae domi ſemper haerentis, eadem contra *Peregrini*, quae honores promouentis appellatio. §. VI.

Idem probatur, ex vſu peregrinationum, in dictorum factorumque moderamine et conuerſatione ciuili. §. VII.

In integritate morum et Prudentia Politica. §. VIII.

In fortitudinis laude, honoribus, et celebritate nominis acquirenda. §. IX.

CAP. II. *De peregrinationibus mercaturae cauſa ſuſceptis.*

Earum vſus, in Prudentia Oeconomica, tam ex aliorum exemplis, quam obſeruationibus meteorologicis haurienda. §. X.

In Iurisprudentiae ſtudio. §. XI.

In linguarum exoticarum cognitione. §. XII.

In moribus gentium cognoſcendis, vnde mercatura, tam ob periculorum aſſuefactionem, quam experientiam, aulicae vitae initiamentum olim habita. §. XIII.

Idem probatur ex mercatorum multitudine. §. XIV.

Ex mercantium conditione et ſtatu, qui olim viri erant, clariſſimis natalibus orti. §. XV.

Denique ex locis, in quibus mercaturam maxime exercuere noſtri, quae vel mercatorum, ex maxima Europae parte, confluxu celebria, vel longiſſime diſſita. §. XVI.

CAP. III. *De peregrinationibus, ob ſatellitia Principum capeſſenda ſuſceptis, et cognatis Peregrinationum ſpeciebus.*

Aulicae vitae, in morum vrbanitate, in iurisprudentiae qua publicae, qua privatae ſtudio, in Republica denique adminiſtranda, vtilitas, ex Regum, morum elegantiae ſtudioſorum exemplis, ſatellitum ipſorum officiis, et coniuncta, ſi ſecus feciſſent, ignominia probatur. §. XVII.

Eiusdem vſus in exercitiis corporis addiſcendis, ex aemulo virorum promtiſſimorum commercio, et quotidiana ludicrorum, in aula, certaminum exercitatione, aſſeritur. §. XVIII.

De militari, in hoc vitae genere, peritia, teſtantur antiquorum ſatellitum officia et mores, qui, vel Principis ſui militiam ſeque-

quebantur, vel Regio iuſſu expeditiones ſuſcepe-runt, vel regiis auxiliis piraticam exercuere, vel denique, piratica ſtrenue functi, in aulam recipi petiere. §. XIX.

Rei militaris, apud noſtrates ſtudium, ex militia eorum Conſtantinopolitana, vlterius probatur. §. XX.

Aulica vita honoribus, et diuitiis, per ſtipendia, et donaria Regia, quae ſingularis fortuna comitari olim credita, augendis, apta. §. XXI.

Hiſtoriarum notitiam, ſatellitibus Islandis in ſpecie, quorum multi Poëtae i. e. hiſtoriognoſtae Regii fuerunt, officii ratio impoſuit. §. XXII.

Peregrinationum longinquarum, in his Conſtantinopolitanarum vſus. §. XXIII.

Peregrinationum ſacrarum ſiue Romanarum. §. XXIV.

Veterum Islandorum haud pauci, ſtudiorum gratia peregre profecti, qui vel ipſi hiſtorias conſcripſere, vel ad eas ſymbolam contulere. §. XXV.

Concluſio Diſſertationis, in qua antiqua peregrinationum laus, et vtilitas, Islandis eo magis tribuitur, cum plerique peregrinantes, patriam tandem repeterent, ſedemque ibi ponerent. §. XXVI.

§. I.



uae tam gentem Islandicam, quam antiquos in ea hiſtoriae borealis ſcriptores, non inſulſos adeo et barbaros fuiſſe, ac exterorum nonnulli, nec periti ſatis nec aequi rerum noſtrarum arbitri, cenſuere, monſtrent, argumenta, tam multa ſunt, totque celebrium auctorum ſcriptis illuſtrata, vt ſingulorum,

 vel

vel leuem inire numerum, anguſtos Disquiſitionis huiusce limites, immane quantum! excedat: Hinc tantum, quid ad honorem gentis noſtrae hac in parte vindicandum faciat, quam prouida maiorum cura iuuentuti olim impoſuit, peregrinandi neceſſitas, paucis aperiam: Ex obliquo ſaltem, ac ne vix quidem, *Bartholinus* et *Torfaeus*, in adſtruenda Hiſtoricorum borealium auctoritate, diligentiſſimi alias et accuratiſſimi, hoc tatigere argumentum; plene hactenus, quod equidem miror, tractauit nemo; Eius enim limites, ſi, quo par eſt, proferantur, totusque eius ambitus attentis ſigillatim ſubiiciatur oculis, confeſtim, ſpero, apparebit, maius multo huic argumento robur, ampliorem ineſſe probandi vim, quam reliquis, quae ab antiquis lapidum ſepulchralium et Clypeorum Inſcriptionibus, ab aulaeorum texturis, ab aedium denique ſculpturis et picturis hiſtoricis, memoriarum rite conſeruatarum peti adminicula vulgo ſolent. Quas nobis vetuſtas reliquit, Cipporum antiquorum Inſcriptiones, ſi pauculas tantum excipias, ipſo fatente Bartholino *a*), ob obſcuritatem ſuam et breuitatem, vix iuvare Hiſtoricum poſſunt: Clypeorum, inſcriptionibus hiſtoricis inſignium, vſum, et

a) Antiqu. Dan. Lib. I. c. 9. p. 145.

et nonnulla auitae fortitudinis ſpecimina, eorum ope, ab interitu vindicata, priſcis omnino denegare borealibus, equidem haud puto integrum; certum tamen eſt, talium clypeorum exempla, ſpecialia nimis eſſe, eosque extra vſum vulgarem poſitos, et ſingularibus perſonis fuiſſe proprios; imo eorum plerosque, non tam literatis narrationibus, quam caelatis ſculptisue rerum geſtarum iconibus, pereunte, quod primam iconographiae occaſionem dedit, facti memoria, facile obliuioni tradendis, fuiſſe notatos, ipſa, quae eorum mentionem iniiciunt, antiquorum teſtimonia, poſt Bartholinum *b*) a Torfaeo *c*) collecta, ſuadent: Horum igitur Inſcriptiones, ad inſignia vel emblemata militaria, melius referendae, maiorum verò factis ad poſteros transmittendis, quamuis in ſpeciali forte caſu aptae, haud tamen ſufficientes ſatis, magnis illis hiſtoriarum borealium fundamentis, non accenſendae, atque eatenus B. Grammio *d*) non immerito ſuſpectae ſunt. Idem de veterum aulaeis, picturis, et ſculpturis hiſtoricis dicendum. Quod autem hic a peregrinationibus argumentum deſumimus, vniuerſale

 eſt,

b) Ibid. pag. 148. 149. 150.
c) Ser. Reg. Dan. Lib. I. c. 6. pag. 51.
d) in Notis ad Meurſii Lib. I. ed. Ital. pag. 30.

eſt, et ob exemplorum multitudinem, latiſſime omnino patens, conſona omnium antiqui aeui hiſtoricorum nititur fide: Auget argumenti huius vſum ipſa eius natura et indoles, quae, vt communi toti populo Islandico viuendi generi, maximam lucem, vim maximam debet, ita mores gentis atque inſtituta, et prudentiae in ea ciuilis formam, haud parum illuſtrat: Si enim, qui iuuentutem Islandicam ad peregre eundum inuitauere, fines; ſi, quos, a reducibus, cognatio et patria, iure quodam ſuo poſtulauit, profectus, examinemus, liquido patebit, veteres Islandos barbarum et agreſte viuendi genus minime eſſe ſecutos; verum multo magis populum fuiſſe, qua illorum temporum ſimplicitas ferebat, ſatis politum, *artium* et *exercitiorum corporis, rei militaris,* vt *ſcientiarum* in genere, ita in ſpecie *Hiſtoriarum, Prudentiae Politicae* et *Oeconomicae, urbanitatis* denique et *morum elegantiae*, ſtudioſiſſimum. Hinc igitur vindicari fortitudo veterum Islandorum bellica poteſt, et ſcriptores varii, antiqui iuxta ac recentiores refutari, qui gentem Islandicam vt genus hominum trepidum, debile, et rei militari omnino ineptum traduxere: Hinc manifeſte conſequitur, Islandos, a reliquo licet orbe longius paulo remotos, haud con-

contemnendam nihilominus, rerum in exteris geſtarum habere potuiſſe, et reuera habuiſſe notitiam, eique in ſuos vſus convertendae haud impares eſſe cenſendos, atque adeo ſcripta eorum hiſtorica, quaſi a rudibus et imperitis confecta, nec fabularum inſtar habenda, nec alto adeo, ac a viris caetera magnis, factum videmus, contemnenda ſupercilio. Ad quae ſi eos, in Regnorum peregrinorum hiſtoria interdum erraſſe, obiicias; non hiſtoriae conſcribendae ineptos, ſed homines, ſed a communi hallucinandi ſorte (quam nec iis denegauerim) non exemtos, probas: Sic enim in ipſius Islandiae hiſtoria interdum errarunt: Sic, in ſuae patriae hiſtoria, integerrimi quilibet, doctiſſimi atque exactiſſimi, politiſſimarum gentium hiſtorici, interdum errant: Sic errant et hodie, dum de rebus Dano-Noruegicis ſcribunt, vel ipſi, in exterorum Academiis, Celeberrimi, et omnigenae eruditionis laude ſuperbientes, Hiſtoriarum Profeſſores, cum tamen meliora, ex ſcriptis Danorum Hiſtoricis, in ſuas linguas translatis diſcere queant: Sic denique omnis errat homo, non ſtupiditatis ſolo, non barbariei, ſed memoriae et ſcientiae finitae vitio. Plura non addam. Prius autem, quam ipſum rei caput ad-

grediar, Lectorem Beneuolum obnixe rogo atque obſecro, vt argumenti, aliis hactenus intacti nouitas, ſeria bene de patriis rebus merendi voluntas, et quam Specimina Academica imponunt, annua ſcribendi neceſſitas, modicam, qua disquiſitio haec elaborata eſt, doctrinam excuſet.



CA-



CAPVT I.

DE

PEREGRINATIONIBVS IN GENERE VETERVM DE EIS PLACITA RECENSENS.

§. II.

Vt itaque, quae §. I. promiſi, quo maxime decet, ordine exſequar, quas antiquitas potiſſimum reſpexit, peregrinandi rationes, ipſis, qua fieri poteſt, veterum auctorum verbis ſtrictim adumbrabo: Harum primariae, et ab omni retro antiquitate maxime principales fuere: vt iuvenes, ingenuis orti natalibus, accuratiorem, rerum extra patriam geſtarum, cognitionem acquirerent; vt, ſi quid, ſiue petulantiae, ſiue ruſticitatis, vel indulgentia parentum, vel domeſticae vitae licentia, moribus induxerat, peregrini contubernii vrbanitate emolliti, deponerent; vt maiori rerum, quas terrae, ſi famam exceperis, antea ignotae, obtulere, vſu, experientiam, exterorum autem commercio, prudentiam, et conuerſandi artificia, addiſcerent; vt denique, poſitis, apud exteros, qua fortitudinis, qua honorum rudimentis, nominis celebritatem, maiorem in patria auctoritatem, maiorem popularium ſuorum exiſtimationem ſibi conciliarent, atque

atque adeo faciliorem ſibi, ad Reipublicae adminiſtrationem, aperirent aditum.

§. III.

Quin hiſtorica in ſpecie cognitio, peregrinantes olim quam maxime tenuerit ſollicitos, dubitare nos non permittit, priſcorum borealium conſuetudo, qui ab hoſpitibus et aduenis quibuscunque, rerum geſtarum notitiam, ſtudioſe ſemper quaerebant. Seruat moris huius antiquiſſimi veſtigia, Eddae Saemundi Oda Vafthruthnismál, vbi Vafthrudinus, poſtquam hoſpitem, coram ſe ſtantem, variis de Philoſophia et Theologia veteri quaeſtionibus exercuerat, ita tandem locutus introducitur:

„Frothr ertu nu geſtr,
„Far thu á beck Jötuns,
„Oc melomc í ſeſſi ſaman;
„Haufdi vedia
„Vith ſcolom haullo í
„Geſtr um gedſpeki.

i. e.

Iam amplam ſatis, hoſpes, ſcientiam habes,
Hinc in ſcamno gigantis recumbe,
Vt ſedentes colloqui queamus;
Capite contendamus
In aula
Hoſpes! vter noſtrum plus profundae ſcientiae poſſideat.

quae,

quae, quominus Logogryphis Physico-Theologicis, quibus se inuicem Diuos et gigantes vetustos excipere solitos, eadem Edda saepius tradit, Mythologice consuetudo adumbrari credatur, nil obstat. Nec minus Reges, Principes, et alii olim magni nominis viri, quos peregrinantes forte offendere, de rebus, apud exteros, gestis, studiose percontari soliti sunt, talemque notitiam maximis in deliciis habuere: Ex multis, Olaum Trigguinum, Noruégiae Regem, et Knutum Lauardum. Slesuicensium Ducem, producam testes; quorum prior, vt ipse peregrinando erat assuetus, Thorvalldum Kodrani filium et Stefnerum Islandos, longinquis itineribus claros, vix salutauerat prius, quam regionum, quas adierant, statum, et populorum, inter quos versati fuerant, Principumque exterorum mores, quasque ipsi res gessent, qua potuit diligentia, sciscitaretur *e*); posterior vero, Vidgotum ad se profugum, ad familiare colloquium crebro admisit, eiusque sermones magni faciebat, ob raram, qua pollebat experientiam rerumque vsum, nec non plurimarum regionum, quas perlustrauerat, notitiam; inprimis autem, de rebus, quas in Oriente viderat, operose quaesitum, summa cum delectatione audiebat *f*). Similem plurima alia antiquitatum testimonia ministrant, aliorum Regum

e) Olafs Saga, Ed. Isl. Lib. II. pag. 46 et 62.
f) Knytlinga Saga cap. 87. ed. Hafn. pag. 179.

Regum et Principum conſuetudinem, qui, vbi quis, ad aulam, peregrinans, hoſpitium, ſatellitiumue petiturus, acceſſit, quae aliis in locis audiiſſet et vidiſſet, exponendi, vt et propriae vitae narrandae mandatum ſaepius dederunt; non tam temporis fallendi cauſa, quam, ut hocce virium animi tentamine explorarent, an capaci ſecretiorum conſiliorum, dignaque interiori familiaritate, prudentia valerent et experientia, atque adeo, quo honoris genere excipiendi, quo habendi eſſent loco: Hanc, quod ſe, longo itinere maceratum, ſcrupuloſis nimis quaeſtionibus fatigaret, in Haquino Noruegiae Comite, curioſitatem, reprehendit Thorleifus Islandus, Comitum Poëta poſtea dictus *g*): „That er oc talat, at ſeigt er ſvaungum „at ſkruma; man ek ok ecki at ythur ſkru- „ma, Herra! nema ther látit gefa mer mat „at eta - er ſlíkt næſta úhöfdinglegt, at „ſpyrea úkunna menn í hvern heim, enn „huxa æi hvat mönnom hentar„ i. e. *Vetuſtum etiam prouerbium eſt, difficilem ieiuno loquelam eſſe; hinc Te, Domine! meis haud prius delectatione perfundam narrationibus, quam cibaria mihi iubeas apponi - Non enim Principe dignum, ſpinoſis, de qualibet orbis parte, ignotos quaeſtionibus torquere, nec tamen quid eorum neceſſitas poſtulet, curare.* Quanto igitur Regum Principumque gratia et bona

g) Olafs Saga, ed. cit. Lib. I. pag. 205.

bona opinio, peregrinantibus erat emolumento, tanto eos accuratiorem, terrarum, in quibus verſabantur, cognitionem, ornamento ſibi duxiſſe, quis dubitet?

§. IV.

Eadem plane ratione conterraneos ſuos, in patriam reduces, Islandi ipſi excepere, quippe quibus, vtpote hiſtoriarum ſludio (quod, ſi alia deeſſent argumenta, tot hiſtoricorum antiquorum, quae omnium hodie manibus teruntur, volumina euincunt) ſemper addictiſſimis, nil prius, nil fuit antiquius, quam rerum in exteris geſtarum notitiam, omni expiſcari cura. De ſeculis, Islandiae Occupationi propioribus, teſtis eſt hac in re Hiſtoriae Noruegicae Prologus, cuius haec ſunt verba: „A hans dögum bygg-„diz Island, ok var thá mikil ferd af No-„regi til Islandz, ſpurduz thá á hverjo „ſumri tídindi landa ímillum, ok var that „ſídan í minnum haft, oc eptir til fráſag-„nar „ i. e. *Islandia Haraldi Pulchricomi tempore, maxime occupabatur, crebraeque eo ex Noruegia* (et ex Islandia viciſſim in Noruegiam) *inſtituebantur nauigationes, quo factum eſt, vt ſi quid noui accidit, quauis aeſtate Islandi reſciſcerent, quod ab illo tempore, memoria hominum ſeruatum, traditionibus et relationibus hiſtoricis, materiam poſtea praebuit.* Quae introductam religionem Chriſtianam proxime

xime ſequebantur ſecula, eo plures harum rerum tuliſſe ſtudioſos, certum eſt, cum omnia Islandorum monumenta, tum primum literis mandata eſſe, tam ex Aronis Multiſcii, primi apud nos hiſtorici, aetate *h)*, quam ex luculentiſſimo Sturlungorum hiſtoriae teſtimonio, a nobis alibi *i)* laudato, ſatis pateat. Quo autem maiorem dictis fidem faciam, quae notiora ſunt, exemplis, a tergo relictis, binos tantum nomino, Hrolfum nempe Skalmarneſenſem *hiſtoricum pariter ac Poëtam*, („hann var Sagnamadr, oc orti ſkipulega„) et Ingemundum ſacerdotem, Einari filium, de quo ita Sturlungorum Hiſtoria k); „Ingimundr preſtr „Einarsſon var frædimadr mikill, ok fór „vel med Sögur, hann ſkemti vel, ok orti „gód quædi, er hann thá fyrir laun utan„landz" i. e. *Ingemundus ſacerdos magna pollebat eruditione, hiſtorias prudenter tractauit, easque cum inſigni audientium plauſu narrauit, nec egregia minus carmina compoſuit, pro quibus ab exteris praemia reportauit.* Cum autem tales, non peregrinae ſolum, ſed patriae quoque hiſtoriae darent operam, moris erat, vt reduces ab exteris homines, in conuiuiis et conuentibus ſolennibus, praeter gentium peregrinarum mores et geſta, ſuarum etiam peregri-

h) Torf. Ser. Reg. Dan. Lib. I. cap. 5. pag. 38.
i) Notis ad Gunnlaugi Orms-tungae vitam cap. I.
k) Lib. I. cap. 6.

grinationum ordinem, ſua in exteris fata, honores, pericula narrando, auditores delectarent; quae cauſa eſt, quod Kiartani, talia narrare recuſantis ſeueritas, Patri admodum diſpliceret *l*): „Kiartan ſagdi ecki grand frá ferdom ſinom, at theſſo thotti Olafi fedur hans mikit mein. i. e. *Id inprimis Olaum Kiartani patrem male habuit, quod ne minimum quidem de peregrinatione ſua narraret.*

§. V.

Accedit, quod ex communi veterum ſententia, ſapientiae laudem mereri, nomenque tueri vix poſſet ille, cuius ſcientia anguſtis paucarum rerum continebatur limitibus: Hinc, quemadmodum, iuſtam ſatis imperitiae notam, aegre ſe effugere poſſe ſperabant, multumque ſibi ab ea timebant, qui, licet exquiſita ſatis, eorum, quae patriam ſpectabant inſtructi cognitione, intra patriae tamen terminos, penatesque paternos ſemper haerentes, transmarina ſcrutari loca inſuper habuerunt; teſtantibus Bollii Bollii filii, ad Snorrium, peregrinationem diſſuadere volentem, verbis *m*): „Thyckir mer madr vit „that fávís verda, ef hann kannar ecki ví„dara enn her Island„ i. e. *vix ſe, mea ſententia, ab imperitiae liberabit culpa, qui nullas,*

l) Laxdæla Saga.
m) Laxdæla Saga.

las, praeter Islandiam hancce nostram, perlustrat terras: Ita multo certior, haud facile amouendae aut delendae stoliditatis eum reprehensio mansit, qui, rerum in exteris gestarum notitia vacuus, patriam repeteret: Nec aliud morales veterum sententiae *n)* innuunt, hanc stupidi notam velut characteristicam, his verbis proponentes:

„Fimbul-fambi hæitir
„Sá er fátt kann segia,
„That er ósnotrs Ádall.

i. e.

Admodum haesitans (stupidus) vocatur
Qui pauca narrare nouit;
Haec inficeti indoles est.

§. VI.

Quantum caetera prudenti peregrinandi consilio, in sapientiae et prudentiae studio veteres tribuerint, inde maxime patet, quod illius, qui intra parietes paternos semper delitescit domi, appellatio, communi omnibus seculis loquendi usu, in *Stulti* notionem abierit, eademque voce *inficetum*, qua *peregrinandi expertem*, nostrae linguae homines appellent: Placet hac de re Paulum Vidalinum *o)* audire, cuius, si Latine reddantur, huc fere redeunt verba: Heimskr

i. e.

n) Hàvàmal siue Ethica Odini.
o) in Glossar. Iurid. MSto, Islandice scripto, voce *Heimskr.*

i. e. *ſtultus*; nomen eſt adiectiuum, a voce heima, i. e. *domi*, formatum, ut Griſkr, Ebreſkr, Aegyptſkr, et ſimilia, adeoque primo ſignificatu talem denotat, qui domi educatus, et in paterno limine ſemper haerens, nullos in dictis factisue bonos mores didicit, niſi quos domi vidit et audiit, iuxta prouerbium: „heimſkt „er heimalit barn" i. e. *Stulti ſunt qui domi educantur liberi;* item „thu hefir thá „ſidu er thu lærdir heima, ok er heimſkr „heimöldum líkr" i. e. *tu, quos domi hauſiſti, moribus uteris, in hoc enim ſtultus domi educatum refert.* Cum autem tales domi nutriti, ſiue *hiemfödninge*, vtpote peregrini cultus expertes, petulantes ſint, dicaces, incomti, audaculi, imo ſaepe temerarii, idque in incognitos licere putent, quod ſibi in parentes vel familiares domi ſumſere licentiae, inde vox *heimſkr* in eam tranſiit notationem, vt hominem ſignificaret *ſtultum*, et, in legibus noſtris antiquis haud raro, maleuolum, qui plus ſibi, quam fas et iura ſinunt, tribuit: Teſtes horum produco, Magnatis Noruegici Erlingi Skialgi filii, ad Asbiornum, verba: örordr mantu heima frændi i. e. *quin domi, cognate, petulans ſis, non dubito:* hiſce Asbiorni dicteriis oppoſita: mihi relatum eſt, matrem meam ingenuis eſſe natalibus ortam, et Erlingum de Sola cognatorum eius eſſe nobiliſſimum; iam vero te ipſum dicentem audio, tibi, prae ſer-

vorum regiorum timore, de frumento tuo disponere haud integrum esse: quae vtique non dixisset, si politis insignium virorum moribus fuisset imbutus; haecce enim verba, conceptis inter Olaum Sanctum Noruegiae Regem, et Erlingum, fomitem addidere dissidiis, quae Erlingo mortis, Regi autem exilii tandem fuere causa. Alterum testimonium Gudmundi ad Einarum fratrem, quam illi, vt se consilio iuuaret, dederat tunicam, reddere volentem verba *p)* praebent „Haf thu nu allt saman, skickiuna „oc andvyrdit, oc get ek at sva búir thú „nú, at ther verdi at bædi heimska oc „klækiskapr „ i. e. *Iam vtrumque, et tunicam, et pretium, per me, retineas, licet; vereor enim, si reddideris, ne haec tibi res, et stultitiae cedat et nequitiae;* Stultitiae quidem, quod Einarus, prudentiae suae, quod raro alias solebat, non habita ratione, tunicam a fratre accepit, fidemque ei prius iurauit, quam, quo eius molimina tenderent, explorauerat; nequitiae vero, si fidem et promissum datum, non seruaret: Hactenus Vidalinus. Similem peregrinationum commendationem suggerit, ipsa *peregrini,* in lingua nostra appellatio, *framandi,* quae Suecis *fræmandi*, Anglo-Sax. *fremd,* Alem. *Fremider,* Danis *fremmed*, Belgis *Vremd* effertur; hanc Stiernhielmius *q)*, Kiliano auctore,

p) Reikdalensium historia cap. 24.
q) in Glossario ad Ulphilam, voce *framathjana.*

ctore, ducit a *Ver-heymed*, quasi sit, cui domus et patria peregre est; nec dissentit Fr. Iunius *r)*, sed tantum addit, *Verr* procul, et *heym* domum significare, adeo vt *Vremd* proprie sic dicatur *qui suos lares et patriam sedem longissime dissitam habet*; notione ipsa, a veritate non aliena, vocibus tamen primitiuis, si quid video, minus recte constitutis. Propius forte a vero abfuit Gudmundus Andreae *s)*, vocem *framandi*, quae peregrinum significat, particulae *Fram* deriuatis apponens, licet id, postulante literarum ordine, an consilio, factum sit, vix constet. Rem autem ipsam acu tetigit Wachterus *t)*, his verbis: *FRAM significat absentiam a loco; inde Anglo-Saxonibus FRAMSTANDAN, abstare; ab hoc significatu deriuatur FREMD alienus, a solo natali longe absens:* et infra *u)* plenius: *olim contraxi ex duabus vocibus, FRAM END, a finibus terrae; sed nunc malo formare immediate a FRAM, ab, ex, de, vt peregrinus sit, qui e longinquo est* etc. Quam viri summi sententiam, meam facere non dubito, specialem tantum, et, quod iam agitur, instituto propiorem rationem, ex lingua Islandica daturus; in qua particula *fram*, quae Danico *frem* fere aequipollet, et in com-

 positis

r) in Glossario ad Ulphil. edit. Dordr. p. 168.

s) Lexic. Island. pag. 77.

t) Glossar. German. pag. 471.

u) Ibid. in voce *fremd*, pag. 481.

positis *Pro* Latinorum refert, proprie significat prorsum antrorsum, quo spectat formula, *at ganga fram*, procedere, pedem promouere: In genere sumitur de quolibet progressu, siue motu fiat, siue minus; siue retrogrado, ab vltimis, siue directo; a primis, ordine; atque hinc, de fluxu temporis, tam praeteriti, vt: *at muna langt fram*, longa rerum praeteritarum memoria pollere, quam futuri, vt: *that kemr fram*, eueniet. Dicitur et de rebus quae antea non visae prodeunt, atque adeo de eis, qui propriis sedibus relictis, ignoto diu vagati tramite, aliis tandem in locis, conspectui hominum se sistunt, vt: *hann kom fram á Skotlandi, í Danmaurk* etc. in quibus et similibus loquendi formulis a Latinorum *ultra* vel *trans*, non omnino discedit. Vt autem omnis generis progressum significat, ita ad perfectionum augmenta, et praerogatiuam quandam denotandam saepissime transfertur; sic *at fara fram*, procedere, cum Datiuo impersonaliter positum; *mer fer fram*, est proficio, vt contra: *mer fer aptr*, deficio: Quo etiam sensu, ad res gerendas traducitur, vt in loquendi formula: *That gengr fram, verdr framgengt*, negotium procedit, vnde *framgenginn*, qui pericula exantlauit, vel cui rarum quoduis, inprimis si honorem augeat, accidit: huc spectat verbum, eg *frem*, *framdi*, at *fremia*, patro, in effectum produco, efficio vt res succedat, Danis

Danis *at fremme*, Wachtero *x)*, *fremmen*, vnde frequentatiuum *eg frama*, celebrem reddo, et, sensu reciproco, *at frama sig*, ad honores, inprimis apud exteros, eniti, cuius particip. praesens, *framandi*, honores promouens, ad peregrinos significandos est translatum, quasi, quos a suis sedibus, ad gentes ignotas, clari nominis studium traheret, quique eandem, apud se, aliis suppeditarent gloriae occasionem, quae ideo *frami*, quod gloriam peregre eundo acquisitam notat, antiquis vocabatur.

§. VII.

Vt autem ad ipsam rem regrediar; nimiam, in specie, sui ostentationem, quippe quae experientiae iuxta et prudentiae defectum prodit, viro cordato indignam veteres iudicavere *y)*: „that „er mannligt, at dramba lítit yfir ser, enn „gera mikit afdrif, ef madr kemr í nockra „raun„ i. e. *parum se efferre, ast, vbi pericula forte subeunda, rem strenue gerere viros decet*: Ad hanc autem prudentiae partem, quam peregrinationes imponebant, inter multos, antea ignotos, versandi necessitatem, vel plurimum conferre, merito docet Volsungorum historiae Auctor *z)*: „hver sa er med mörgom „kemr, má that finna eitthvert sinn, at engi

 „er

x) Loc. cit. pag. 482.
y) Hrolfs Saga Kraka cap. 18.
z) cap. 27.

„er einna hvataſtr„ i. e. *qui in multitudine verſatur, multosque adit, aliquando experiatur neceſſe eſt, neminem omnium eſſe promtiſſimum:* Qui contra domeſticum tantum ſectabantur vitae genus, rerum, quae momentum traherent inſueti, alienae autem virtutis, et quas profitebantur, artium et exercitiorum ignari, iuſtamque adeo ſui et aliorum rationem habere neſcii, dum tenui ſuarum virium et experientiae modulo alios metiebantur, nimium ſibi tribuere, nil ſupra vires putare, ſtultisque ſe moliminibus (veteres *at ætla ſer dul*, dixere), aliis ſaepiuſcule propinare deridendos ſolebant. Dicendi intemperantiam, et quae eam poenitentia ſequatur, ita auctor vetuſtus *a)* adumbrat: „ver megom theſs opt ydrazt, at ver „erom of málgir, oc ſialldnar mundom „ver theſs ydrazt, thó ver mælltom færra „enn fleyra „ i. e. *Saepius nos, nimiae loquacitatis ducimur poenitudine, rariusque nos pauciora, quam plura dixiſſe, male haberet:* Hanc vero ab iis facile euitatum iri ſpes erat, quos varia peregrinae conſuetudinis tentamina, ne iudicium praeceps agerent, ſed re adhuc in biuio poſita, ſuſpenderent, cautiores reddiderant, cum, ex aduerſo, talium inexperti, turpiter ſe ſaepius darent, et omni data occaſione, quali Olai Trigguini Noruegiae Regis Satellites, ſecum, vt imprudenter, ita ſucceſſu parum

a) Hrafnkels Saga Freys-Goda.

rum felici contendentes, Nornagestus perstrinxit *b)*; locum facerent reprehensioni: „vedit „eigi optar vid úkunna menn, thviat eigi „vitit ther, hvern ther hittit thann fyrir, „at bædi hafi fleyra heyrt oc set, enn ther„ i. e. *Vobis, ne cum ignotis amplius pignore contendatis, auctor sum, in talem enim forte imprudentes incidetis, qui plura vobis et vidit et audiit.* Quae cum ita sint, quod hactenus tetigi, dictorum factorumque moderamini, peregrinantes olim, eo diligentiorem navasse operam certum est, cum, potissimum quippe prudentiae negotium suo continens ambitu, non maximae, solum necessitatis, sed et laudis esset, neglectum contra, peritorum ludibriis et contemtui occasionem daret, et vera denique esset, quae ab insulso, et domestica stoliditate infatuato, cordatiores discerneret nota: quo respectu praeclare Ethicae Odini auctor, in hunc sensum scribit:

„Vitz er thaurf,
„Theim er vída ratar,
„Dölt er heima hvat;
„At augabragdi verdr
„Sá er ecci kann,
„Oc meth snotrom sitr.„

i. e.

Prudenti rationis usu opus est
Ei qui passim vagatur.

b) Norna gests Saga cap. 2.

Domi contra quidlibet impune licet.
Aspernabili aliorum obtutui (oculorum ictui) subiicitur.
Qui imperitus est,
Vbi urbanis assidet.

§. VIII.

Quo autem horum verborum sensus euidentius pateat, sciendum, haud vltimam, quae nostrates, ad peregre proficiscendum, olim inuitaret, causam fuisse, vt, si quid agrestis, duri, inhumani, rudiusculi, mentem obsedit, mitiori, magis tractabili, imo elegantiori ingenio permutarent: quo Gunnlaugi ad Illugum patrem verba spectant *c)*: „Gunnlaugr quedz „vilia utan fara, ok siá oc nema sido an-„nara manna „ i. e. *Gunnlaugus se, vt exterorum mores videret disceretque, peregrinationem parauisse respondit.* Idem et Thorkilli in Glumum, ab exteris reducem, dicteria innuunt *d)*: „thess áttu von, at menn muno „that eigi sitia ther, ef thu meidir se manna, „thótt thu thickiz ha fa framat thik utan-„lendis, - stórliga lætr thu nú Glumr, ok „slíkr glópalldi thickir ofs thu nu, sem thá „er thu fórst utan „ i. e. *Id tibi sperandum est, alios non toleraturos, si pecoribus eorum vim inferas, quamuis peregrinando inclaruisse, tibi*

c) Gunnlaugs Saga Orms-tungo cap. 4.
d) Viga-glums Saga cap. 7.

tibi videaris - vtut enim iam Glume ſuperbias, nobis tamen adhuc, qualem ante diſceſſum cognouimus, fatuus videris.: Illi ſcilicet exprobrat, quod inconditos domeſticae conſuetudinis mores, et iuuenilem imprudentiam, exterorum commercii ope, nondum ſatis exuiſſet, adeoque praecipua, quam praeſtare peregrinatio debuiſſet, vtilitate fruſtratus, domum rediiſſet: Hinc et Thorſteinus Egilli filius ita Illugo loquens inducitur *e)*: „Gunnlaugr ſcal „fara utan, oc ſemia ſik eptir ſid annara „manna-enn mer vyrdizt ecki ſkaplyndi „hans „ i. e. *Gunnlaugus peregre proficiſcatur, et ad exterorum mores ſe componat - nam quo iam vtitur mihi haud probatur ingenium.* Quod enim peregrinos politioribus et humanioribus moribus vti, noſtri crediderint, Illugi Fuſci, ingenium durum atque obſtinatum, exterorum conuictui et ſocietati ineptum iudicantis, verba docent *f)*: „Illugi-qvad hann eigi „mundo godr thyckia í ödrom löndom, er „hann thottizt traudt mega ſæma víd hann „heima thar ſem hann villdi „ i. e. *Illugus haud exteris probatum iri coniiciebat, qui paterna in domo, aegre ſe, ad arbitrium parentis, contineri patiebatur;* quibus, ſimilis, cur fratrem Egillum, itineris ad exteros ſocium admittere recuſaret, ratio a Thorolfo Scallagrimi

e) Gunnlaugs Saga Ormſ-tungo cap. 5.
f) Ibid. cap. 4.

grimi filio adducta *g)*, suffragatur; et, quae plurima adferri testimonia possent, vnde pateat, maiores nostros, peregrinationes, vt viuam, qua priuatae, qua publicae, siue politicae, prudentiae scholam spectauisse, non externae tantum elegantiae artificem et magistram, sed interiorum quoque animi recessuum, et ingeniorum cognoscendorum, quam in politicis notitiam primas tenere nemo ignorat, administram; saepius laudata Odini Ethica, his verbis, testante:

„Sá einn veit,
„Er vitha ratar,
„Oc hefir fiölld um farit,
„Huerjo gethi styrir
„Gumna hver,
„Sá er vitandi er vitz.

i. e.

Solus cognoscit,
Qui late proficiscitur,
Multaque peragrauit loca,
Quale ingenium foueat
Virorum vnusquisque,
Quem rationis cura tenet.

§. IX.

Praeter hactenus allata, veteres, fortitudinis laudem, dignitatis et honorum incrementa, nominis denique celebritatem, peregrinando quaesiuisse,

g) Egils Saga Skallagrims Sonar.

fuiſſe, indicant, quae Biorno, peregre ituro, Scula Thorſteni repoſuit *h)*: „Scula ſagdi ſem „ſatt var, at their menn fengi margir fram„kvæmd, er miklo ſídur varo á ſig kom„nir enn hann „ i. e. *Scula, vt res erat, dixit, multos, in exteris, re bene geſta ad honores prouehi, illi, qua animi corporisque dotes, multo inferiores:* nec non Laxdalenſium hiſtoria, quae Bollium, magnum peregrinatione ſua honorem conſecutum tradit, et Thorkillum Eiulfi filium peregrinandi propoſitum in Thorleiko his verbis laudantem inducit: „thikir mer hin meſta varkun, tho thik „fyſi at kanna ſido annara manna, thvi „ek vænti, at thu thyckir vaſkr madr „hvar ſem thu kemr „ i. e. *Id maxime tibi condonandum, quod exterorum mores, notiores tibi reddere cupias: ſpero enim te, quo veneris cunque, ſtrenui viri laudem reportaturum.* Conſentit, quod Ottaro Hallfredus dedit, conſilium *i)*: „thu frændi ſkalt fara utan, oc „leita ther meiri ſæmda„ i. e. *tu, cognate, peregre proficiſcere, et maiorem honorem quaere:* huc et Glumi, ad matrem, verba tendunt *k)*: „Glumr ſegir modur ſinni, at hann „vill utan rádazt; ſe ek at throſki minn „vill engi verda, enn that má verda, at „ek

h) Biarnar Saga Hítdæla-Kappa.
i) Hallfredar Saga cap. 3.
k) Víga-Glúms Saga cap. 5.

„ek hlióti giæfo af göfgom frændom mí-„nom„ i. e. *Glumus, se iter ad exteros meditari, matri dixit; vides enim, inquit, nullum alias rerum mearum, nullum existimationis incrementum futurum, fieri autem potest, vt a nobilibus meis cognatis, aliquid in me redundet fortunae.* Confirmat hoc ipsum Snorro Sturlaeus *l)*, Biarnium Heriulfi filium Islandum, postquam a teneris vsque peregrinando operam dederat, diuitiis et dignitate auctum rediisse tradens. Denique dubium non est, quin nominis celebritatem, peregrinando spectauerit is, qui paternos penates hac de causa reliquit, quod exiguam nimis posteritati, virtutis suae celebrandae occasionem esse putaret, si sui fama, latius, quam hactenus factum erat, non extenderetur: „leitz hanom eigi gott til frá sögo, „at eckert skylldi spyriazt til hans lengra „enn that sem lidit var„ *m)*: Nec diuersa omnino Svipdago et fratri mens, suas hoc modo rationes subducentibus *n)*: „dauflig er æfi vor, „at vera her uppi í fiöllom, i afdölom oc „úbyggdom, ok koma alldrig til annara „manna, ne adrir til vor„ i. e. *Nec taedio nostra carebit vita, si in remotis montium valliumque anfractibus, et solitudine hacce semper haerentes, ad alios homines nunquam accedamus, neque alii ad nos veniant.*

CA-

l) Ed. Suec. Tom. I. pag. 326.
m) Hervarar-Saga cap. 9.
n) Hrolfs Saga Kraka cap. 18.



CAPVT II.

DE

PEREGRINATIONIBVS MERCATVRAE CAVSA SVSCEPTIS.

§. X.

Inter reliquas peregrinandi rationes, primo ſe mercatura offert, quae etiamſi, vtpote lucri faciendi, reique familiaris augendae gratia, inprimis inſtituta, noſtrum haud ſpectare inſtitutum primo intuitu videatur; attamen, ſi illius naturam attentius paulo conſiderauerimus, in re, quam ſuſcepimus demonſtranda, haud exiguum trahere momentum, extemplo videbimus. Non iam id mihi ſumam negotii, vt monſtrem, veterum Islandorum mercaturam, non tam ſordidae auaritiae opibusque corradendis, quam ſplendori rei familiaris, maximique pretii cimeliis, quae nitido et magnifico viuendi generi inſeruirent, conquirendis fuiſſe accommodatam, quippe quod, licet haud incultum omnino populi viuendi modum, quodammodo indicet, pleniorem tamen, quam inſtituti huius ratio patitur, Oeconomiae et mercaturae veteris ſupponit notitiam. Hinc ſatis habeo monuiſſe, ſi quid aliud, mercaturam certe, *prudentiae* maiorum noſtrorum *Oeconomicae*, haud temere reiiciendum praebere argumentum:

mentum: Etenim quo maiori mercaturam ſucceſſu exercerent, neceſſarium illis erat, ſedulo perquirere, et qua fieri potuit, cura, diſcere, quaenam in illis, quae frequentauere locis, mercaturae ratio, qui ſtatus eſſet, tempusque mercandi, quas regiones iſtae merces producerent, quas non, atque adeo quaenam ibi maximo quaeſtu vendi poſſent et coëmi: Maximo ad hanc ſcientiam adiumento eſſe, inſignium mercatorum exempla, antiquitas credidit; vnde regulis, nauiganti vel mercanti vtilibus, haec olim annumerata o): „Enn ef ther ero úkunn „kaup i bænom, thá ſkygn thú vandliga „um that, hverſo their fara med ſínom „kaupom, er meſtir kaupmenn oc beſtir „ero kalladir„ i. e. *Si autem tibi, quae in emporio quopiam viget, mercandi ratio, haud ſit perſpecta, maxima cura attendas oportet, quo ſuam pacto mercaturam illi inſtituant, qui optimi, et maximi nominis inſtitores audiunt.* Verum nec gentium tantum, ad quas commeabant, Oeconomia, prudentiores, virorumque, mercandi gloria in exteris celebrium exempla, maiori rerum vſu imbutos, patriae, mercatores noſtros reddidere, ſed et ipſa artis veterum navigandi, ad rationes Geometricas, rigoremque mathematicum nondum reuocatae, nec acus magneticae beneficio ſuffultae, imperfectio, nouam illis obſeruationum meteorologicarum, prae-

o) Speculum Regale.

praecipui quippe, tunc temporis, ſcientiae nauticae fundamenti, impoſuit neceſſitatem; vnde non mirum, illas, ab eodem Speculi Regalis auctore, nauigantibus ita commendari: „Nem „thu vandliga byrting lopts, oc gáng hi-„mintúngla, dægra far oc ætta ſkipan, „ok kunn vel at marka, hverſo thverr oc „vex ókyrleikr ſiovar, thviat that er fród-„leikr, ok naudſynlegt at kunna, theim „er farmenn vilia vera„ i. e. *Accurate diſce hemiſphaerii illuminationem, corporumque coeleſtium motum, diei noctisque viciſſitudines, atque plagarum mundi ordinem; ſimili et ratione noſcas rite obſervare, qui minuatur vel augeatur maris inquietudo, ea enim ſcientia eſt navigaturis maxime neceſſaria.* Vt haec rite intelligantur, ſciendum eſt: 1. Nexum illum, quem cum menſtruis lunae mutationibus, fluxus et refluxus, adeoque aeſtus maris habet, veteribus iam fuiſſe obſeruatum, quae ratio eſt, cur ad aeſtus maris incrementa et decrementa cognoſcenda, coeleſtium motuum cognitionem, auctor requirat. 2. Hemiſphaerii illuminationem, diei noctisque viciſſitudines, plagarum denique mundi, atque certorum adeo ventorum, ad ſe inuicem relationem, nautis ideo diligenter ſuadet obſeruanda, quod veteres obſeruauerint, varia luminis ſolaris, prout ad verticem noſtrum vel accedit, vel ab eodem recedit, incrementa et decrementa, multum conferre ad

C ven-

ventos, tam certis anni temporibus, quo aequinoctia et solstitia pertinent, quam certis diei partibus, mane, meridie, vesperi et noctu, spirantes, diuersamque illorum, vt successionem, ita in mari concitando vires, et prognostica, quasque plures, Speculo Regali mire consentaneas, ventorum, ad annuum solis motum relationes, egregiis Verulamius *p)* demonstrat obseruationibus. Quousque autem Islandi tales obseruationes, vel ex domestica experientia, vel longo nauigandi vsu haustas excoluerint, ad praesens haud pertinet institutum disquirere; hinc sufficit si monstrauero, mercatores Islandos nec talium incuriosos fuisse nec ignaros: Vt breuitati studeam, e multis vnum producam Oddum Ofeigi filium, mercatorum sui seculi felicissimum, qui cum aliis vna mercatoribus in sinu Thorgeirsfiordensi detentus, coeli ratione statuque diligentius pensitato, tantam aëris tranquillitatem, circumiectorum montium occursu gigni est suspicatus; hinc proximos ascendit montes, eoque certior factus, vehementi satis Oceanum agitari vento, nauim suam, non sine multis caeterorum nauclerorum ludibriis, extra sinus montiumque fauces, scapharum ope, deductam, dum illi adhuc, eodem in portu, commodum sibi ventum opperirentur, mercibus opimis onustam ex Orcadibus reduxit *q)*.

Talium

p) in historia naturali de Ventis.
q) Bandamanna-Saga.

Talium etiam obſernationnm, qua ſcilicet Prudentiae Oeconomicae praecepta iuxta ac principia continent, in vita communi vſum, prudentiorem quemlibet Islandorum, haud inſuper habuiſſe, ſuo exemplo docet, vir ſuo ſeculo cordatiſſimus, Einarus Thveraënſis, ſedulus harum ſcrutator *r*): „Einar var árvakr oc „ófvefnugr, geck hann ut opt um nætur, „oc ſá himintungl oc hugdi at vandliga, „oc kunni thá allz god ſkyn„ i. e. *Einarus alacer erat, nec multum ſomno indulgens, ſaepius noctu egrediebatur, corporaque coeleſtia intuitus, diligenter obſeruauit, quo egregiam ſibi omnium, quae ruſticae vitae rationes requirebant, comparauit notitiam.*

§. XI.

De Prudentia Oeconomica hactenus diximus: Verum adhaec mercatores noſtros, praeter aliquam Geographiae veteris cognitionem, exterorum quoque ingenium, mores, inſtituta, leges, linguam denique et hiſtoriam, inprimis ſui temporis, facile diſcere potuiſſe, et, qua ſingula haecce, vel ſibi, vel quod ſequebantur, vitae generi, proficua iudicarunt, reuera didiciſſe, multa euincunt. In ſpecie, haud perfunctoriam iuris cognitionem, ob lites, de vario rerum iure, variisque contractibus exituras, mercantibus vtilem, imo neceſſariam, antiquitas cenſuit; nec id immerito, cum nulli, tunc

 tem-

r) Liósvetninga Saga cap. 14.

temporis, in Septentrione, quibus caufae committerentur, in vfu procuratores eſſent; digna ſunt hac de re, quae hic legantur Speculi Regalis verba: „Enn that ſcalltu viſt hugleida, „at á hverri ſtundo, er thu mátt ther til „tæma, oc minnaz á nám thitt, allra meſt „á lögſcrár, thviat that er raunar, at allra „er annara minna vit, enn theirra, er af „bókom taka mannvit, thviat their hafa „fleſt vitni til fíns frodleiks, er beſt ero „lærdir: gerdu ther allar lögſcrár kunnar, „enn medan thu villt kaupmadr vera„ i. e. *Id autem certo conſideres, vt omni, quod reliqua tibi vacuum negotia relinquunt, tempore, doctrinam tuam, inprimis vero Legum Codices in memoriam reuoces: Re enim accuratius perpenſa, omnium aliorum minor eſt ſcientia, quam eorum, qui e libris ſcientiam hauriunt; nam quo quis doctior, eo plures cognitionis ſuae in promtu habet teſtes, plura argumenta: Omnes igitur tibi legum codices, iam, dum mercaturae operam dare cupis, familiares redde.* Nec obſtat, quod ab his, quippe poſt introductam demum Chriſtianam religionem, librorumque vſum, ſcriptis, ad tempora antiquiora, librorum iuridicorum vſus expertia, nulla fieri concluſio debere videatur; ex iis enim, quae de veterum Islandorum iuriſperitia, alibi *s*) collegi, veterum teſtimoniis, abunde patet, Islandos, Chri-

s) in Notis ad Gunnlaugi Orms-tungae vitam cap. 4.

Chriſtianis nondum imbutos ſacris, iurisprudentiae inprimis fuiſſe ſtudioſos, atque adeo Speculi Regalis auctorem, non tam nova ſui ſeculi mercatoribus, dediſſe conſilia, quam antiquorum mercatorum conſuetudinem, et praecepta, ſeculi, quo vixit, inſtitutis aptata, denuo inculcaſſe. Nec mercatoribus noſtris vel occaſionem, vel voluntatem ius exterorum percipiendi defuiſſe obiicias; quippe quos, tam legum vetuſtiſſimarum breuitas, diuturnaque interdum in exteris hoſpitia, quam ipſa earum neceſſitas, namque ex iis lites in exteris obortae, decidendae erant, ad iurisprudentiae peregrinae cognitionem inuitauerunt: Credi ſcilicet non poteſt, eos iuris exterorum, quo inter eos degentes indigebant, fuiſſe incurioſos, quibus iurisprudentia domi ſemper curae cordique fuerat. Nec multis in re explorata, conſequentiis opus; Leges enim Islandorum vetuſtiſſimas qui conſideraverit, vel primo intuitu, multa, exterorum inſtitutis accommodata, multa ex legibus peregrinis hauſta, deprehendet; ad quae quin et ſuam mercantes ſymbolam contulerint, quid obſtet, non video; inprimis cum ex infra (§. 15) dicendis appareat, mercatorum Islandicorum bene multos, viros fuiſſe nobiliſſimos, qui poſtquam a mercando deſtitere, vel magiſtratui in patria gerendo admouebantur, vel priuatam egere vitam, conſilio tamen ſpectabiles et auctoritate.

 §. XII.

§. XII.

Quam mercatoribus Islandicis (§. II.) tribui, linguarum cognitionem, ſi illos tantum, qui inter populos, alio idiomate vtentes, moras iuſto longiores nectebant, exceperis, vlterius haud puto extendendam, quam illorum mercaturae, in regionibus, Balthico et Germanico mari circumiectis maxima ex parte factae, ratio poſtulat, talem ſcilicet, quae commerciis eis in locis ſuffecit peragendis: Illam autem linguarum notitiam, arctis admodum circumſcribi neceſſe eſt limitibus: Nam etiamſi Ruſſos, Curlandos, Liflandos, Vandalos, Saxones et Hibernos, Danica veteri, quae Islandis familiaris, lingua, quo Islandorum mercatura maxime floruit, tempore, haud credam vſos; harum tamen regionum emporia celebriora, vt et loca alia mari proxima, ob frequentiorem, qua mercatorum, qua piratarum Dano-Noruegico-Suecicorum conſuetudinem, tantum Danici ſermonis hauſiſſe, et propriae dialecto admiſcuiſſe, probabile efficiunt, quae horum, cum Septentrionalibus, populorum commercia deſcribunt, veterum auctorum loca, vt lingua Danica loquentes, et eos facile intelligere, et ab iis viciſſim absque multo labore intelligi poſſent: Hinc quod de linguarum notitia Speculi Regalis auctor, conſilium propinat, literarum ſtudioſis aptius quam mercatoribus ſeptentrionalibus videtur. Verba autem haec ſunt: „**Ef thu villt**

„**vera**

„vera fullkominn i fródleik, thá nem thu al-„lar málýſkur, enn allra helſt Latino oc „Völſko, thviat thær tungor ganga ví-„dazt „ i. e. *Si ſcientia excellere cupias, omnes linguas diſce, Latinam inprimis et Vallandicam,* (Italicam) *hae enim latiſſime florent.* Illud igitur tantum addam, linguas, horum populorum plurimis familiares, ad Danicam olim propius multo, quam nunc, acceſſiſſe, atque adeo mercatores noſtros, ſi quos forte harum regionum incolas Danice haud intelligentes offendêre, eorum dialectum facile diſcere potuiſſe. Quas caetera mercatores vetuſti callere tenebantur artes, iam nec disquiram, nec Arithmetices ſtudium, quo illud carere vitae genus non potuit, Speculo licet Regali valde commendatum: („ger thic oc taulvíſann vel, that thurfa „kaupmenn miök„) multum extollam, cum id Oeconomicis aptius quam mathematicis calculis fuiſſe, ſit exploratum.

§. XIII.

Propius inſtitutum noſtrum, mores et inſtituta exterorum, ſiue qua varios populorum ritus et conſuetudines, ſiue qua vrbanitatem et morum elegantiam, ſpectant, quibus accuratius cognoſcendis, eo maiori mercatores noſtros ſtudio incubuiſſe certum eſt, quo inſigniorem, vt omnis, ita peregrinatoriae inprimis prudentiae partem, illorum cognitioni deberi antiqui-

 tas

tas iudicauit *t)*: „Enn thó at ek ræda nu fleſt „um lögmál, thá verdr engi madr alvitr, „nema hann kunni godann ſcilning hátta „á öllum ſidum, thar ſem madr verdr „ſtaddr „ i. e. *Caeterum, etiamſi de legibus iam plurima dixerim, nemo tamen in totum ſapiens euadit, niſi inſtitutorum morumque omnium, quibus immoratur, regionibus familiarium, naturam et conditionem probe habeat perſpectam:* A quibus nec diuerſa veteres Islandos et feciſſe et ſenſiſſe, praeter alios multos, Thidrandus Geiteri, et Kiartanus Olai, mercaturae gratia initio peregre profecti, ſuis docent exemplis; quorum prior, *vt exterorum mores ſibi perſpectos redderet*, peregre eundi veniam a Hroaro Tungenſium Curione petiit *u)*; Poſterior autem peregrinandi conſilium Thorſteino Egilli filio aperiens, hocce tuliſſe reſponſum fertur *x)*: „Er that vorkun frændi, at „ther ſe forvitni á, at kanna ſido utlend-„ſkra manna „ i. e. *Nec tibi cognate vitio vertam, quod te, nouitatis amor, ad exterorum mores cognoſcendos inuitet.* Etenim mercatura olim ſpectabatur, tanquam genus viuendi, in quo, vel ad inſigne honorum faſtigium aliquando adſpiratura, vel aulae nomen datura iuventus, prima humanitatis et experientiae poneret

t) Speculum Regale.
u) Droplaugar Sona Saga.
x) Laxdæla Saga.

ret rudimenta ; quae ratio eſt , cur Speculum Regale, iuuenem ita loquentem faciat: „med „thvi ek em nu á lettazta alldri, thá gyr-„nunſt ek fara landa í milli, thviat ek trey-„ſtunz eigi til hirdar at leita, fyrr enn ek „hefir ſet annara manna ſido ádr „ i. e. *Quoniam mihi tam maxime vegeta eſt aetas, mercaturae gratia exteros inuiſere geſtio, nec enim me in aulam prius conferre audeo, quam aliorum mores antea mihi ſunt perſpecti.* Neque id immerito : Nam mercatores, quae mercaturae natura requirebat, pericula impigre ſubeuntes, *fortitudinis*, rerum autem vſu, crebraque conuerſandi aſſuefactione, *prudentiae* dediſſe ſpecimina, atque ipſae adeo aulae magis maturi, et actionibus ſuis, ad varia aulicorum ingenia rite componendis, aptiores facti eſſe, videri poterant. Pericula, vt iter facientibus in genere, ita mercatoribus exantlanda, Fridthiofus Noruegus, cum impetuoſo iactaretur mari, in haec erumpens, adumbrat *y)*: „Sá „verdr at mæta misjöfno ſem vída fer,„ i. e. *multa peragranti loca, duriora interdum occurrant neceſſe eſt*: Experientiam vero peregrinando hauriendam, ſequentia Eddae Saemundi verba repraeſentant:

„Fiölld ek fór,
„Fiölld ek freyſtadak
„Fiölld ek reynda Regin.„

C 5 i. e.

y) Fridthiöfs Saga frækna cap. 6.

i. e.

Multa itinera confeci,
Multa expertus sum,
Multum diuinarum virtutum tentaui;

Vtrumque, posterius tamen oblique, Speculum Regale, his verbis, delineat: „Sá madr er „kaupmadr skal vera, thá verdr hann at „leggia sik í margann lífs háska, stundom „í hafi, enn stundom i heidnum laundom, „enn jafnan med ókunnom thiódum, oc „tharf jafnan that at hugsa, at hann se „thar vel staddr sem hann er; „ i. e. *Qui mercaturae operam dare cupit, multa subeat necesse est vitae pericula, iam in Oceano, iam in regionibus Christianorum sacrorum expertibus, semper autem apud gentes incognitas, idque semper cogitare opus habet, quod sibi, in quo est cunque, bene sit loco.*

§. XIV.

Denique, vt eo iam redeam, mercatores Islandicos in exteris degentes, quae ibi notatu dignissima accidêre, studiose inaudiuisse, patet, tam ex eo, quod talium rerum notitia magnae in Islandia duceretur laudi, ibique non modo auide exciperetur z), sed et a reducibus postularetur (§. 4), quam quod exteri, in conuiviis, conuentibus solennibus, et alia quauis occasione

z) Probauit id in notis ad vitam Gunnlaugi Ormstungae cap. 2.

casione data, talia libentissime narrarent. Ast ne quis forte putet, quam mercantibus hactenus asserui, peregrini cultus notitiam, paucis tantum Islandorum contigisse, atque adeo, quanti leuiter intuentibus videri posset, in amovenda a maioribus nostris barbariei suspicione, non esse ponderis; sciendum est, hancce mercaturae vtilitatem, duplici potissimum ex ratione spectatam, latissime omnino patere: Harum priorem ipsa negotiatorum praebet multitudo: Nam vt maxima Noruegicae iuuentutis pars, piratica, ita plurima Islandorum pubes, quoad caelibem degere vitam libuit, commerciis olim exercebatur. Id, vt innumera aliorum exempla prudens omittam, de Hrafno Aunundi filio, Gunnlaugi Ormstungae vita *a)*; de Thorhallo, Thorlaci Sancti, Skalholtensium postea Episcopi Patre, Thorlaks Saga Helga *b)*; de Thorkillo Eyulfi filio Laxdalensium Historia; de Oddo Ofeigi Bandamanna Saga, testatur: „Er hann nu í caupferd, oc „geriz stóraudigr madr ok ágiætr, ok er „hann optazt med tignum mönnom, ok vel „vyrdtr utanlandz - hann var ok farsælli „enn adrir menn„ i. e. *Interea mercaturae operam nauans, indeque diuitiis et splendore auctus, honoratis insignium in exteris virorum, saepissime vsus est hospitiis - caetera nauigandi* *feli-*

a) cap. 5.
b) cap. 1.

felicitate aliis longe superior; de Aulvero Floamanna Saga *c*): „Aulver redz í kaupferdir „thegar á unga alldri, ok var áburdarmadr „mikill, ſidan redz hann i hernad, ok var „hinn meſti víkingr„ i. e. *Aulverus, a prima inde iuuentute mercando dedit operam, et ſplendidum viuendi genus ſequebatur, poſt praedonum partes ſectatus, maximi nominis pirata factus eſt;* de Aſmundo, Gretteri patre, Grettis Saga *d*): „Aſmundr for thá utan, oc „græddiz hanom ſnart fe, oc ſigldi til ymsra landa, ok gerdiz hinn beſti kaupmadr, „oc vel audigr„ i. e. *Aſmundus, acceptis a patre mercibus, peregre eſt profectus, breuique opibus auctus, varias inuiſit terras, maximusque ac ditiſſimus mercator factus eſt:* Hinc non ad certa tantum loca, ſed in omnes patriae partes, peregrini cultus notitiam, longe lateque per hos propagatam eſſe et diuulgatam, in aprico eſt.

§. XV.

Altera, quae rerum extra patriam geſtarum notitiam haud contemnendam, mercatores Islandicos ſecum reduxiſſe, monſtret, ratio, ex perſonarum, quae commercia exercuere, conditione deſumitur: Etenim non tam plebeium quemlibet, quam viros generis claritate et prudentia ſpectabiles, mercatura olim tenuit occupatos; in cuius rei teſtimonium, adducere hoc loco

c) cap. 8. *d*) cap. 15.

loco ſufficiat Kiartanum, regio ſtemmate ortum, et Thorkillum Eyulfi filium, quem Laxdalenſium Hiſtoria, *virum ſtrenuum, et nobiliſſimis prognatum natalibus* vocat; paucisque interiectis ſequentia Snorrii Curionis ad eum verba producit: „væri that mitt rád, at thú letir „af ferdom, ok gerdiz höfdíngi, ſem thú „átt kyn ferdi til„ i. e. *Meum eſſet conſilium, vt mercatura relicta, conuenientem generis claritati principatum, in patria obtineres*: quod et Thorkillum feciſſe, quae ſequuntur eiusdem auctoris verba docent: „Thorkell Eyulfsſon „gerdiz brátt höfdíngi mikill, ok hellt „ſer opt til virdingar, var hann he„radzríkr, ok málamadr mikill, thott her ſe „eigi getit um thinga deilldir hans„ i. e. *Thorkillus Eyulfi breui in virum principem euaſit, negotiorum, quae dignitatem eius augerent, ſtudioſiſſimum, is Toparchae munere illuſtris, quod incoluit territorium in ſuo continuit obſequio, cauſisque dicundis plurimum impendit curae, licet controuerſiae eius forenſes hic non recenſeantur.* Quin et poſt religionem Chriſtianam receptam, ipſos Clericos mercaturae operam locaſſe ſuam, indicio eſt Ingemundus Sacerdos, ob variam eruditionem celeberrimus, qui ipſe in Anglia et Noruegia commercia exercuit e). Ad quae et ſimilia, quibus cumulandis ſuperſedeo, aliorum exempla, tantum

e) Sturlunga Saga Lib. III. cap. 6.

tum obſeruo, multos horum mercatorum, maximos poſtea patriae Proceres factos, eo magis exterorum moribus ad ſuos traducendis conſuluiſſe, quo plus eis in alios imperii fuit et auctoritatis. Nec antiquo mercaturae honori obſtat, quod Haraldi Pulchricomi Noruegiae Regis filios, Biornum fratrem, quod commercia exerceret, per contemtum *Inſtitorem* vel *nautam* vocaſſe Sturlaeus *f*) referat; quippe quod ita non eſt accipiendum, ac ſi mercatura ingenuis eſſet indigna, ſed, quod infra, Regium eſſet faſtigium, cui rei militaris et piraticae cura magis olim conuenire videbatur: Hinc Fridthiofus piraticam *Principum mores* vocat *g*): „Eigi man ek her vera í Noregi, vil ek „kanna herramanna ſid, oc fara í hernad„ i. e. *Haud hic in Noruegia manebo, verum potius virorum principum mores ſecutus piraticae dabo operam*: Hinc maioris interdum factos, qui piraticae, quam qui paci ſtuduere Reges, Hroarii et Helgii Daniae Regum elogia declarant *h*): „Hroarr var madr kyrr oc hægLátr, enn Helgi var hermadr mikill, ok „thotti allt meira til hans koma„ i. e. *Erat Hroarus vir quietus et manſuetus, Helgius vero militari gloria inſignis, unde maioris omnino commatis eſſe videbatur*: non quod pacis

f) ed. Suec. Tom. I. pag. 115.
g) conf. Fridthiofs Saga frækna.
h) Hrolfs Saga Kraka cap. 4.

cis ſtudium et manſuetudo virtutes eſſent Principe indignae, ſed quod artis militaris ſtudia illorum ſeculorum ingeniis magis ad palatum eſſent, quae fortitudine nitebatur, gloriae inprimis ſtudioſis: confirmat aſſertionem noſtram rei militaris cum mercatura comparatio a Thorſteino inſtituta *i*): thikia mer kaupferdir vera „manni meir til prídi ok agiætis, enn til „hreyſti „ i. e. *Mihi mercatura, ad ornatum magis et pompam, quam fortitudinem comparata videtur.* Nec magis nobis officiunt Olai Tryggvini, Kiartano mercaturam diſſuadentis verba *k*): „oſs vyrdizt ther ſe betr hendt „at thióna tignum mönnom, enn geraz „her at kaupmanni „ quippe quae tantum innuunt, Regem ſatellitio et miniſteriis aulicis, quam mercaturae, eum iudicaſſe aptiorem. Verum multo magis prolixae mercatoribus antiquis cedit commendationi, quod ipſi Regum ſatellites, ex quibus Hallfredum Islandum Olaï Tryggvini ſatellitem et Poëtam, maximis ab eo honoribus auctum, hac vice adducam, alternis vicibus mercaturam aulamque ſaepius ſequi ſolerent *l*); Praeterea ipſi mercatores, iam ſatellitiis Regiis poſtmodum adſcribebantur, iam Regum Principumque hoſpitiis et familiaritate ſaepius vtebantur, iam ipſos denique Reges, vel

in

i) Svarfdæla Saga cap. 3.

k) Laxdæla Saga.

l) Olafs Saga Tryggvaſonar ed. Isl. Lib. II. p. 126.

in commercii ſocietatem adduxere, vel vicariam eis operam, in rebus magni pretii coëmendis praeſtitere: Teſtis Gudleicus Gardenſis, quem communibus ſui et Olai Sancti, Norvegiae Regis ſumtibus mercaturam exercuiſſe Sturlaeus *m*) tradit: „ſegir Kongr hanom, at „hann vill gera felag vid hann, ok bad „hann kaupa ſer dyrgripi, thá er torgiæ„tir ero thar í landi„ i. e. *Rex, vt communione bonorum facta, res pretioſas, in illa regione* (Noruegia) *rariores coëmeret, ab eo petiit:* Teſtis Suenonis Eſtrithii Daniae Regis ſatellitum vnus, qui mercaturam Regiis ſumtibus exerceus, nauim mercibus onuſtam ex Anglia reduxerat (*n*): Teſtis Thorſteinus Bæarmagn, qui iam maximae plenas aleae legationes obiiſſe, iam mercaturam, Olai Triggvini, Norvegiae Regis nomine, cimelia conquiſiturus, exercuiſſe narratur *o*): Teſtis denique luculentiſſimus, Hallus Thorarini filius de Haukadal Islandus, cui bonam hiſtoricae, qua poſtea inclaruit, ſcientiae partem, Aro Multiſcius, primus Islandorum hiſtoricus debuit *p*): „Hallr „fór imilli landa, oc hafdi felag vid Olaf „Konong hinn Helga, oc fecc af thvi up„præiſt, var hanom ok kunnigt um Ko„nong-

m) edit. Succ. Tom. I. pag. 449.

n) Hàkonar Norræna Saga.

o) Thorſteins Saga Bæarmagns cap. I.

p) Prologus Hiſtor. Noruegicae.

„nongſins rikdom„ i. e. *Hallus dum mercando operam dedit, bonorum communione, cum Sancto Olao Rege facta, viam ſibi ad honores aperuit, et accuratam regiminis eius notitiam ſibi acquiſiuit.*

§. XVI.

Hactenus, de perſonis, negotiando olim deditis dictum: Aſt et ipſa, quae mercatores olim lubentiſſime adire ſolebant, loca, quod perſequor argumento, haud ſpernendum, me iudice robur addunt: Hoc quo appareat euidentius, ſciendum, veteres non magnae tantum laudi duxiſſe, ſed vt rem mercatoribus, nominis celebritatem conſecuturis, haud mediocriter neceſſariam ſpectauiſſe, ſi ea inprimis loca adirent, quae negotiatorum numero et confluxu fuere celebratiſſima; quo ſane ſenſu mercatum Dublinenſem, vt ſuo ſeculo maxime inclytum Noruegus quidam, Haraldo Pulchricomo fere coaeuus laudat q): „far thu veſtr til Dyflin-„nar, ſu er nu ferd frægſt„: quippe quo, inuitante mercium Hibernicarum praeſtantia et copia, ex regionibus vndiquaque circumiectis, ingens mercatorum confluebat multitudo: Nec diſſimilis omnino ratio, Kiartanum, Olao Triggvino familiarem, ad mercaturam Anglicam ita commendandam induxit r): „that hef-„da

q) Egils Saga Skallagrims Sonar cap. 32.
r) Laxdæla Saga.

„da ek ætlat helldz, at vid helldom fcipi „ockar til Englandz, thvi thángat ero „kaupferdir godar Kriftnom mönnom„ i. e. *Ego potiſſimum auctor eſſem, vt nauim noſtram in Angliam dirigeremus, eo enim Chriſtianis commeare proficuum;* Scilicet facile concipi poteft, ea plurimos mercatores emporia frequentaffe, quae mercibus optimis coëmendis erant aptiffima, atque adeo, a mercium pretio et affluentia, ad mercantium concurfum et frequentiam valide fatis concludi. Verum ne fic quidem contentam veterum curiofitatem, terrarum vel longiffime diffitarum perluftrationem, infigni negotiantibus honori reputaffe, imo neceffariam inclytis mercatoribus duxiffe, Olai Sancti, Thorarino Nefjulfi Islando, iter Gronlandicum fuafuri, fidem faciunt verba s): „far„madr flíkr fem thu ert, thá er ther nu „mál at fara til Grönlandz, ef thu hefir „eigi fyrr komit„ i. e. *Cum tanta nauigationum laude clareas, tempus iam eſſet, vt Gronlandiam, ſi eam prius non vidiſti, adires:* Nam quemadmodum loca, inftitorum frequentia celebria, diuerfos multarum gentium mores velut in compendio videndi, variasque conuerfandi artes, quotidiano exercitio et vfu penitius difcendi, commodam obtulere occafionem, ita regionum remotarum, caeterisque incognitarum notitia, largam gratae nouitati fuppe-

s) Sturl. chron. Norv. ed. Suec. Tom. I. pag. 498.

ſuppeditare materiam cenſebatur; quam quanti olim mercatores fecerint, quod talibus antiquitas ſtatuere ſolebat, argumento eſſe pretium poteſt, fabuloſo Vingthori et Nani colloquio, ab Eddae Saemundi auctore *t*), ita adumbratum:

Víngthorr qvad
„Ineyiar áſtom
„Muna ther verda
„Víſi geſtr of varit,
„Ef thu or heimi kant
„Huerjom at ſegia,
„Allt that ec vil vita.
Aulvis qvad
„Freyſta máttu Vingthorr,
„At thu frekr ert,
„Dvergs at reyna dug;
„Heima alla nío
„Heſik of farit,
„Ok vitat vætna hvat.

i. e.

Vingthorus cecinit:
A virginis amoribus
Nequaquam,
Sapiens hoſpes! dimouebere,
Si ex mundo potes
Quolibet narrare
Omnia quae ſcire geſtio.

 Aul-

t) Oda Aulvismàl.

Aulvis cecinit:
Tentare tibi licet, Vingthore!
Quoniam impense vrges,
Nani virtutem experiri,
Omnes nouem mundos
Ego peragraui
Et singula perscrutatus sum.

Quae licet artes magicas et Mythologiam proxime respiciant, monstrant tamen simul, rerum, quae remotiores orbis partes spectabant, notitiam, haud vltimas sibi sapientiae veterum partes vindicasse.



CAPVT III.

DE

PEREGRINATIONIBVS OB SATELLITIA PRINCIPVM CAPESSENDA SVSCEPTIS, ET COGNATIS PEREGRINATIONVM SPECIEBVS.

§. XVII.

Quo iam ampliorem peregrinationes praestarent vsum, non eiusdem speciei, sed, vt diuersum cuiuis ingenium fuit, diversa quoque peregrinantes adhibuere media: Plurimi tamen Regum et Principum in exteris celebrium satellitia, aptissimam iuxta ac instructissimam, omnium, quas peregrinans vnquam sperare,

ſperare, ne dicam aſſequi potuit, virtutum eſſe officinam, olim cenſuere: Quo enim quisque peregrinantium noſtratium, vel generis claritate, vel rei familiaris ſplendore, vel corporis denique animique dotibus plus valuit, eo et maiori animorum contentione, ardentiorique aemulatione, ad Regnorum proximorum, Angliae, puta, Daniae, Ruſſiae, Sueciae, et inprimis Noruegiae, aulas et ſatellitia, tam fortitudinis documenta edituri, quam omnigenae virtutis et honeſtatis fundamenta iacturi, certatim confluebant; neque id immerito, ibi namque vt vberrima diſcendi, ita in vſus vitae conuertendi, quotidiana ſeſe ſponte obtulit occaſio. Nos id per ſingula eundo monſtrabimus. Morum elegantiam et ciuilitatem, ſi cui, iis certe, quibus aulam ſequi animus erat, maxime neceſſariam olim eſſe habitam, extra omne dubium ponunt Thoreri Thegni, fratrem, ob morum auſteritatem aulae omnino ineptum iudicantis verba *u*): „hvat mantu kunna ſkicka ther á kongs„gardi, thar menn geta eigi ſæmz vid thik „her heima„ i. e. *Qui te in aula decenter gerere poſſe ſperes, cum domeſticis vti nequeas:* Idque eo magis, cum antiquorum Regum plurimi, morum elegantiam cum rei militaris gloria coniungere, maximae ſibi laudi ducerent, egregio aulicis eiusdem ſtudii non exemplo modo, ſed et incitamento: Sic Olaum Triggvi-

 num

u) Ans Saga Bogſveigis cap. 4.

num Noruegiae Regem, ob mores elegantiſſimos, vita eius commendat x); Sic compoſitos optimosque Olai Sancti mores Hiſtorici laudant; Sic denique Haraldus Pulchricomus, omnium, quos vetuſtas tulit, Regum, elegantiae morum et vrbanitatis aulicae ad rigorem vſque obſeruantiſſimus fuiſſe fertur y): „Haralldr hinn Hárfagri var vandaſtr at hirdſidom allra fyrrnefndra Konga„: quippe hac potiſſimum ratione, viros quoſcunque maxime ſpectabiles, ad ſua facillime invitatos ſatellitia, ſplendorem aulae et robur addituros, ſuae vero magnificentiae famam aucturos ſperabant. Quo vero apertius afferti noſtri veritas pateat, en! praecipua ſatellitum antiquorum officia, Speculi Regalis penicillo, ita delineata: „Hirdmadr thydizt ſva ſem hirdzlumadr edr gæzlumadr Konongs ſiálfs oc „allz kongdoms, oc ſculo their menn er „thetta nafn vilia audlazt, vera retter hirdzlumenn eda gæzlumenn; their ſculo „gæta jamgirndra endimarka millum „manna í ríkinu, thar ſem their verda „nærſtaddir málom manna; their ſculo „oc gæta hæverſco oc godrar atferdar, oc „allra nytra ſida, thviat their ero jafnan „nærſtir kon ongi um alla luti; their gæ„ta lifs konongs oc likams um nætur oc „um

x) Lib. II. cap. 74. ed. Isl. pag. 255.
y) Norna geſts Saga cap. 3.

„um daga; their ero jafnan med konongi „at áti oc at dryckio, á málſtefnom oc öl-„lom godom ſam viſtom, ſva ſem nábor-„nir frændur; - their ero ſem landſtiórnar-„menn, ef their hallda theim ſidom er „theirra nafni byrjar; - Eigo theirat verda „allgeörver at ſer at öllom lutom; - their „eigo at gæta allzkyns rádvendni um fram „adra menn, ſva at their kunni á thví go-„dan ſcilning, hverir lutir elſkandi ero „fyrir ſæmdar ſaker, eda hverir lutir haf-„nandi ero, fyrir úſæmdar ſaker; - fyrir „thví at hvar ſem their koma, thá líta „allra manna augo til theirra Sido oc med-„ferdar, ok allir hnegia ſín Eyro til theirra „orda, oc vænta theſs allir ſem vera ætti, „at their muni ſva miklo framar vera enn „adrir menn um Sido ſína, ſem their ver-„da meir náviſtar menn konongs, at thió-„noſto edr yfirlæti enn adrir menn;„ i. e. *Hirdmadr* (ſatelles) *ipſius Regis et omnis Regiae maieſtatis cuſtodem ſignificat atque obſeruatorem, vnde qui hoc aſſequi dignitatis faſtigium volunt, veri ſint cuſtodes et obſervatores oportet; hi, vbi controverſiis forenſibus intereſſe forte contigerit, ne quis incolarum Regni, plus ſibi quam par eſt, tribuendo, iuſti limites excedat; hi, cum in conſpectu Regis ſemper verſentur, vrbanitatem, rerum gerendarum prudentiam, et omnes bonos mo-*

 res,

res, obseruare tenentur ; hi vitam et corpus Regis interdiu noctuque custodiunt; hi epulis mensaeque Regiae, quorque is, litium componendarum causa, conuentus forenses, deliberandi antem, et edictorum promulgandorum gratia, comitia indicit, aliasque congregationes solennes obit, proximorum instar cognatorum, intersunt ; hi, si conuenientes dignitati suae mores sectentur, quasi administratores Regni sunt; vnde omnibus, quae ingenuos ornant, instructos esse oportet; hi omnigenam morum integritatem, prae aliis sectari debent, vt probe noscant discernere, quaenam honoris gratia facienda, quae ignominiae et dedecoris causa vitanda sint: Etenim quocunque venerint, omnium oculi ad eorum mores et facta conuertuntur, omnesque ad eorum sermones aures arrigunt, quod esse deberet, sperantes, eorum mores tanto alios magis antecellere, quanto, qua ministeria, qua honores, ad Regem propius aliis accedunt. Hic igitur praeter morum elegantiam, legum et institutorum cognitio, vitae priuatae prudentia, reique publicae administrandae scientia, vel mediocriter curioso, non occasionis tantum opportunitate, se obtulit, sed officii quoque ratione imponebatur. Ast ne quis hic, dignas satellitibus virtutes commendari tantum, non autem, quibus reuera operam dedere, recenseri, atque adeo haec, quantacunque sunt, de iure magis quam de facto intelli-

telligenda putet; ſequentia, quaeſo, perpendat: Haec ſi inſuper habuiſſent ſatellites, tam, qui a Rege identidem admitti ſolebant, aliorum Principum legatis, quam, quos ad conſultationes et colloquia, communis ſalutis cauſa, cum Rege inſtituenda, vicini Principes adduxere, ſatellitibus et eminentioris dignitatis viris, non ſe tantum ipſos propiuare deridendos potuere, ſed et Principi ſuo maximae ignominiae et vituperii eſſe cauſa; atque hinc, quemadmodum, non morum minus elegantia, quam fidelitas et promtitudo bellica, gratiae regiae obtinendae, inſignia olim eſſe adminicula videbantur, ita eos ſatellites, qui bonos mores neglexere, Principis ſui gratia excidere, eius in ſe iram concitare, ſeque ipſos in vitae et fortunarum diſcrimen adducere, periculum erat. Praeterea, ſi quis, a virorum magnorum contubernio, imo ipſis Regum exemplis, rudis atque inſulſus in patriam rediiſſet; maiorem, quam ſi paternum limen nunquam reliquiſſet, conterraneis ſuis cauillandi praebuiſſet materiam, eoque amplius popularium ſuorum ludibriis patefeciſſet ſpectaculum, quo ab eo maiora ſperari merito potuere; quantae imprudentiae, dicam an ſtoliditatis, nobiles cordatosque viros, reos ſe agi fuiſſe paſſos, eo minus eſt credibile, cum notiſſimum ſit, maximam olim veteres primatus aemulationem tenuiſſe, nec aliud maiori olim reputatum fuiſſe laudi, quam

ſi quis ab exteris reuerſus, Principum, quibus obnoxius fuerat, elegantiam et prudentiam, propriis moribus referret. Denique homines aliquo, quod nemo vnquam cordatus Islandis denegauit, ingenio praeditos, diuturna ſapientiorum familiaritate vti poſſe, quin ſimul inde doctiores melioresque euadant, naturae humanae repugnat, et, vt loqui Philoſophi amant, Phyſice eſt impoſſibile.

§. XVIII.

Exercitia corporis artesque militares, quas magno olim in pretio habitas fuiſſe nemo ignorat, ad mores, quibus noſtrates, in exteris, operam dare debuerunt, innumera auctorum veterum loca referunt: Aſt tam exercitiorum corporis promtitudo, quam rei militaris ſcientia, peregrinando commodiſſime comparari credebatur: Prius Sigurdi Hieroſolymipetae Noruegiae Regis, quibus filium Magnum, cum Haraldo Gillio, his de rebus imprudentius contendentem, reprehendit, innuunt verba z): „Ecki Kantu Sido manna utanlandz; viſ„ſir thu that ecki fyrr, at utanlandz menn „temia ſik vid adrar íthróttir enn at gera „ſik örann oc uförann?„ i. e. *Nae tu exterorum mores ignoras; an ſcilicet hactenus neſcis, aliis exteros occupari exercitiis, quam potu ſe ingurgitando, vſque dum nec mens nec corpus*

z) Chron. Norueg. ed. Suec. Tom. II. pag. 272.

pus officium faciat? Posterius, qua Sverrius Betulopodas, ne se factionis Ducem constituerent, absterrere voluit, excusatio, probat *a*): „Em ek fæddr í eino utskeri fiærri ödrom „mönnom, set ok litt annara manna Sido, „fyrr enn nu ek kom í thessi lönd, enn „miklo sídr kann ek thó med herscap at „fara „ i. e. *Ego in insula, ab hominum commerciis remota, natus, aliorum mores parum vidi, antequam has in terras venirem, multo tamen minus militiae moderandae aptus sum.* Aulica autem inprimis vita, tam exercitiis corporis, quam militari experientiae aptissima videri merito debuit: Antiqui enim Reges, fortissimos quoslibet et promtissimos, ad satellitia obeunda, non tantum ipsi delegerunt, sed et maximi viri suapte consilio, ad eos confluere, suaque offerre ministeria sponte solebant: In exemplum eat Hrolfus Krakius Daniae Rex, de quo ita Suipus iudicat *b*): „hann kalladi that „mestan soma, at vera med Hrolfi Kongi „í Danmörk oc köppum hans, - thvi ek „hefi that sann spurt, at thángat seo kom-„nir allir hinir mesto menn ok kappar af „nordr löndom „ i. e. *Maximum putauit honorem, cum Hrolfo Daniae Rege, eiusque Athletis, versari; nam pro certo, inquit, accepi, maximos quoslibet viros et Athletas Regnorum*

a) Sverris Saga.
b) Hrolfs Saga Kraka cap. 21.

gnorum borealium eo confluxisse; quibus plane consentanea Elgfrodii ad Biornum verba etiam prostant *c*): Alterum exemplum Olaus Triggvinus praebet, cuius cohortem praetoriam his verbis vita eius laudat *d*): „varo fyrst tilvall- „dir hirdmenn Olafs Konongs thviat hir- „dinn var valinn af innlendum og utlend „skom, allir their er sterkastir varo ok „trælknastir „ i. e. *Inprimis praetoria Olai Regis cohors naui imponebatur, vtpote ex indigenarum iuxta ac exterorum promtissimis et fortissimis delecta;* qualium societatem et contubernium ad exercitia corporis eo plus contulisse certum est, cum mos olim aulicis fuerit, omnigena exercitiorum specimina, ludorumque spectacula, non in conspectu tantum Regum, sed ipsis etiam mandantibus saepissime celebrare; Sic Adilsum Sueciae Regem, in palatii area ludorum celebritatem spectantem, Svipdagus, aulae nomen daturus, deprehendit *e*): Sic Hrolfus Daniae Rex, ludorum spectaculis, et agilitatis speciminibus aulicos exercuit *f*): „let konongr thessa sina menn fremia allz- „kyns leika oc listir, med allra handa gam- „ni ok skemtan „: Haud secus ac Baranges et Normanni, Constantinopoli stipendia facientes,

c) Hrolfs Saga Kraka cap. 31.
d) ed. Isl. Lib. II. pag. 251.
e) Hrolfs Saga Kraka cap. 18.
f) ibid. cap. 37.

tes, quotidianis ludorum exercitationibus, rei ſe militari aptiores reddere ſoliti traduntur *g*): „that er Sidr Væringia oc Nordmanna, at „vera at leikom um daga, ok gangazt at „fángbrögdom „ i. e. *Barangum et Normannorum mos eſt, luctis et exercitiis ludicris indies exerceri:* In ſpecie, cum viri magni nominis, exercitiorum corporis gloria clari, in aulam forte venirent, et regio hoſpitio, per breuius quoddam temporis ſpatium vterentur, haud inſolitum vetuſtis regibus, aulicos cum iis, vt agilitatis periculum facerent, committere; quomodo Gunnerum de Hlidarenda, hoſpitio a ſe exceptum, cum aulicis ſuis commiſit Rex Daniae *h*): „Konongr hafdi that til ga-„mans at hann let Gunnar reyna imſar „ithrottir vid menn ſína„ i. e. *ea Regi oblectatio, vt Gunnerus, cum aulicis, variis corporis exercitiis contenderet:* Quid quod ipſos interdum Reges, aulicorum promtitudinem colludendo experiri ſolitos, indicio ſit Olaus Triggvinus Noruegiae Rex, cum ſuis ipſe, in fluuio Nid natandi peritiae experimenta capiens *i*). Caeterum quin et Islandi, qui in exterorum Principum aulis frequentes verſabantur, corporis hiſce et ludorum exercitiis magnam impenderint curam, nullum eſt dubium, par-

tim

g) Fragmentum Víga Styrs Sögo.
h) Niàls Saga.
i) Olafs Saga ed. Isl. Lib. II. pag. 91.

tim cum certa haec, ad Principum, his deditorum, gratiam et fauorem obtinendum esset via, tanto eis facilior, quo magis, a teneris vsque, exercitiis corporis, et publicis ludorum spectaculis in patria assuefieri solebant, partim cum haud pauca eorum prostent exempla, qui insignes in exteris exercitiorum fecerant progressus, ex quibus solum hac vice Eyvindum nomino, qui ab exteris redux, egregia exercitiorum corporis incrementa sumsisse traditur *k*): „Eyvindr hafdi mikit vidgengiz i mentan„.

§. XIX.

Fortitudinis exercendae cupiditatem, et rei militaris studium, Islandos, vt peregrinas terras adirent, inuitasse, eo minus videri mirum debet, cum, communi veterum sententia, pericula militaria, dignitatum et immortalis nominis auidis, aptissima essent fortunae experimenta, Hrolfi Krakii Vita *l*) testante: „hætta „verdr á nockut ef menn sculo fá frama, „oc má that eigi vita fyrr enn reynt er, „hver gipta vill til snuazt„ i. e. *quem laudis et honorum amor tenet, pericula subeat, oportet, nam, quae coeptis adspiratura sit fortuna, re adhuc intentata incertum.* Vt autem fortitudinis exercendae non vna dabatur occasio, ita diuersa hac in re consilia nostrates secutos de-

k) Hrafnkels Saga Freys Goda.
l) cap. 18.

deprehendimus. Alii enim, hoc fine, Regum Principumque ſatellitiis adſcribebantur; quorum officii ratio poſtulauit, vt, ſi terra dimicandum erat, Regi proximi in acie ſtarent, ſi vero mari, nauim praetoriam, qua Rex ipſe vehebatur, defenderent, et omnium caetera, quas, dum aulam ſequebantur, Reges ſuſcepere, expeditionum ſocii eſſent et comites, quomodo Halldorus, Snorrii Curionis filius, Islandus, omnibus Haraldi Imperioſi expeditionibus interfuerat *m*). Alii vero, vt piraticam exercerent, Regum vel Principum virorum auxilia tantum petiere et conſilia; vel ideo primum Regum ſatellitia et caſtra ſequebantur, vt artibus militaribus initiati, piraticam ſucceſſu eo maiori exercerent, ſibique ad principalem inter piratas dignitatem viam ſternerent: Vtrisque autem id in mandatis ſaepius datum, vt inimicos Regum vel occiderent, vel ad Reges adducerent, vel alio quocunque modo iniurias Regibus illatas vlciſcerentur: Hallfredum Islandum, Poëtam ſuum, et ſatellitem, ad Thorleifum ſapientem vel occidendum, vel oculis priuandum miſit Olaus Triggvinus *n*): Sigmundum Breſteri Faeroënſem, Haquinus Noruegiae Comes nauibus inſtruxit, et poſtquam re ſtrenue geſta, de fortitudine viri certior factus erat, ſatellitem ſuum fecit, addito mandato, vt iniurias

m) Olafs Saga ed. Isl. Lib. II. pag. 315.
n) ibid. pag. 113.

rias ſibi a Suecis illatas vlciſceretur et Haraldum Jarnhaus a ſe proſcriptum interficeret *o)*: Rutus Islandus Haraldi Grafeldii ſatelles, eius et Gunnhildae Noruegiae Reginae auxiliis auctus, Atlium piratam, Arnuidi Veſtro-Gothiae Comitis filium, a Daniae, Noruegiae et Sueciae Regibus proſcriptum, occidit, et poſtea piraticam in mari Balthico exercuit *p)*: Thrainus Islandus, Comitis Haquini iuſſu, Kolum piratam et exulem, nauali praelio ſuperatum, interfecit *q)*: Biornus Hitdalenſium Athleta noſtras, poſtquam Erico Noruegiae Comiti cordatos mores, Wladimiro autem Ruſſiae, et Canuto Magno Daniae Regibus fortitudinem probauerat ſuam, naui longa donatus, magna cum nominis celebritate piraticam exercuit, tandemque ab Olao Sancto Noruegiae Rege, prolixo honore eſt exceptus *r)*: Alii denique vel proprio Marte, piratarum magni nominis ſigna ſequebantur, vel illis, qui eos ex Islandia vexerant, aut aliis quibuslibet, qui iam tum Regibus familiares fuere, ſociati, et ab eis auxiliis ſuffulti, piraticam primum exercuere, poſtea autem, vel his commendatoribus, vel ob propriam nominis celebritatem, vel ob oblata ſponte et praeſtita Regibus auxilia, iam ſatellitiam dignitatem,

o) Olafs Saga Lib. I. cap. 110. 111. 112.
p) Niàls Saga.
q) loc. cit.
r) Biarnar Saga Hítdæla Kappa.

tatem, iam maximam ſibi Regum gratiam conciliarunt: Gunnerus de Hlidarenda Islandus, tam ab Hallvardo Albo Vikenſi, qui eum ex Islandia vexerat, quam huic cognato Aulvero, copiis et nauibus auctus, piratarum princeps breui factus eſt, tantaque nominis ſui celebritate, terras Balthico mari circumiectas impleuit, vt miſſis vltro, qui eum adducerent, Daniae Rex, maximo eum honore Regiisque ornaret donariis, Noruegiae autem Comes Haquinus, in Noruegiam reuerſum, non modo laetus exciperet, ſed et aegre a ſe diuelli pateretur *s*): Helgius et Grimus Niali filii a Kario Solmundi filio Islando, quod in impari contra piratas pugna, fortes viros probauerat, in ſocietatem adſumti, eodemque commendante Sigurdi Orcadenſium Comitis ſatellitio poſtmodum adſcripti, ſub eo magna cum fortitudinis laude ſtipendia meruere *t*): Thorolfus Scallagrimi filius, ſolus primum, iuuantibus quos in Noruegia habuit amicis, piraticam exercuit *u*), cui, poſtea ſociatus Egillus frater, principatum breui obtinuit, et non Curlandiam tantum *x*), ſed et vrbes Freto Oreſundico viciniores depopulatus *y*), cum

s) Niàls Saga cap. 25-27.
t) l. cit. cap. 82 ſeqq.
u) Egils Saga Skallagríms Sonar cap. 36. 37.
x) loc. cit. cap. 46.
y) l. cit. cap. 47.

cum Arinbiorno in Saxoniam et Frifiam movit z), tandemque Athelftanum Angliae Regem, quem Magnates Regni bello adorti fuerant, fua fponte adiutum profectus, ingenti hoftes clade profligauit: Haud fecus ac Ingemundus Vatnsdalenfis, ab expeditione piratica redux, Haraldo Pulchricomo in praelio Hafursfiordenfi fuppetias tulit a): Plures vtique, fi inftitutum ferret, fimilia in exteris ftudia fecuti noftrates, numerari poffent, vt Thorleikus Hofculldi, qui *piraticae interfuerat, et repertus fuerat vir fortis b)*; et Biornus Breiduicenfium Athleta, de quo ita Eyrbyggia Saga: „Biörn var áburdarmadr mikill er hann kom út, ok hellt „fik vel, thviat hann hafdi famit fik eptir „fid utlendfkra manna, - var hann miklo „frídari enn Arinbiörn, enn í engo var „hann úgilldari madr, enn reyndr miök „í framgöngo, er hann hafdi framit fik „utan landz „ i. e. *Biornus in patriam ab exteris redux, fplendide fe gerebat, lautoque vtebatur viuendi genere, fe enim ad mores exterorum formauerat; Multum ille Arinbiorno forma praeftabat, nec aliis in rebus fuit inferior, cum fe in exteris periculis affuefeciffet.* Vnde manifefte confequitur, tam noftrates, in exteris degentes, rei militaris et fortitudinis laudi,

z) Egils Saga Skallagríms Sonar cap. 70.
a) Vatnsdæla Saga.
b) Laxdæla Saga.

laudi, ſtrenuam nauaſſe operam, quam et haec ipſa fortitudinis exercitia, vetuſtis peregrinandi rationibus merito accenſeri, et ad mores exterorum; quos patria profecti diſcere noſtri debuerunt, referri: quo et ſenſu Sigurdus Syr Noruegiae Regulus, Olaum Sanctum allocutus rei militaris ſtudium cum moribus peregrinis coniungit c): „Ertu ok reyndr í Orroſtom, „ok hefir ſamit thik eptir Sidvenio útlend- „ſkra höfdingia „ *Tu praeterea bellis expertus te ad peregrinorum Principum mores compoſuiſti*: quibus conſona Biorni Hitdalenſium Athletae noſtratis, ad wladimiri Ruſſiae Regis ſatellites, ſingulare pro Regni ſalute certamen detrectantes circumferuntur verba d): „thví fór ek af míno landi, at ek villdi „leita mer frægdar„ i. e. *Ideo meam ego patriam reliqui, vt rei militaris gloriam quaererem.*

§. XX.

Quantum Islandos olim rei militaris tenuerit ſtudium, inde etiam poteſt intelligi, quod quae boreas obtulit, haud contenti fortitudinis et prudentiae militaris exercitiis, Byzantium vſque inclareſcendi auidi traherentur: *Geſtum Thorhalli filium*, et, vt hunc e medio tolleret *Thorſteinum Styri filium*, Fragmentum hiſtoriae

c) Chron. Norv. ed. Suec. Tom. I. pag. 408.
d) Biarnar Saga Hítdæla Kappa.

Styrianae, aliud autem apud Bartholinum, in MSCtis, hiſtoriae cuiusdam Islandicae fragmentum, *Thormodum*, noſtrates, militiam Conſtantinopolitanam ſecutos producunt; Griſum Saemingi filium, haud ſine inſigni fortitudinis honore Conſtantinopoli ſtipendia meruiſſe; Olafs Saga *e*), et Hallfredi Periculoſi Poëtae vita *f*), perhibent; De Kolſkeggo, Gunneri a Hlidarenda, fratre, ita Niali Hiſtoria: „Sidan fór hann ut í Miklagard, oc geck „thar á mála, oc ſpurdizt that ſídazt til „hans, at hann qvangadizt thar, oc var „höfdíngi yfir Væríngia lidi „ i. e. *Poſtea Conſtantinopolin vſque profectus, ſtipendia fecit, vbi matrimonio contracto, Barangum Ducem factum vltimo audiuimus*: Bollium Bollii filium, Imperatoris Conſtantinopolitani caſtra ſecutum memorat Laxdalenſium Hiſtoriae auctor, „adiecto de ſuo: „höfom ver eigi heyrt fráſagnir af, at nockr Islendſkr madr hafi „fyrr gengit á mala med Garda Konongi „enn Bolli Bollason „ i. e. *Nec relatum audiuimus, vllum Islandorum, Bollii Bollii filio priorem ſub Imperatore Conſtantinopolitano ſtipendia meruiſſe*; quod in Bollii laudes plus aequo pronior, oſcitantius ſcripſit; nam Kolſkeggus, ante annum Chriſti milleſimum Islandiam reliquerat, nec longas in Septentrione poſtea

e) ed. Isl. Lib. II. pag. 83.
f) cap. 3.

poſtea nectebat moras; Griſus autem Conſtantinopoli iam redux, cum Hallfredo Periculoſo Poëta, anno Chriſti milleſimo, quo Chriſtiana ſacra publico Islandorum conſenſu recepta ſunt, in foro generali, ſingulari certamine contendere decreuerat; Bollius vero nonnullis poſt introductam Chriſtianam Religionem annis in lucem demum editus, prius quam patria profectus eſt, matrimonium iam contraxerat, vnde viginti ad minimum annis, Griſo et Kolfkeggo poſterior, Conſtantinopolin venit. Quae cum ita ſint, non video quo iure recentiorum Scriptorum nonnulli, abiectos et imbelles animos genti Islandicae tantopere obiiciant; Multis equidem fateor, exterorum, ſeculis proxime elapſis, ſuccubuere iniuriis, multis parum inſultibus reſtitere; Verum id, non indolis vitio, ſed vſus, ſed exercitii, ſed diſciplinae militaris defectu factum. Diſperſis ſedibus habitant, vnde facile colligi nequeunt; a Regionibus, quae bellorum eſſe Theatra ſolent, longe remoti ſunt, hinc non admodum neceſſarius, atque exiguus adeo, apud eos, rei militaris, exiguus armorum, exteris hodie familiarium, vſus. Igitur a multis paucos, a bene armatis, inermes, facile opprimi et fugari neceſſe eſt; Nec hic certior alia, quam quae in pedibus, ſalus; ſtultus enim, non fortis eſt, qui nudum, inimicorum armis obiicit corpus; ſtultus, qui periculum, cui ſe amouendo imparem videt,

ſponte ſubit; Denique ordinata militia, atque idoneo Duce carent. Nihilo tamen minus, adverſus Germanos, Anglos, aliamque praedonum colluuiem ſtrenue ſe interdum defendiſſe, Annales, hic non exſcribendi, loquuntur.

§. XXI.

Quae plura, virtutis Islandorum bellicae adferri teſtimonia poſſent, in Diſquiſitione *de genio Islandorum* collegi, hic non repetenda; ad ſatellites igitur et milites hoſce regios redeo, quos ob probatam ſibi fortitudinem morumque integritatem, non eximiis tantum honoribus mactauere, ſed magnificis quoque Reges et Principes ditauere donariis: In ſpecie ſatellitibus ſtipendia, feſti Iolenſis inprimis tempore, quotannis perſoluebantur *g*): „leid ſva fram til „jola, ok hinn átta dag jóla, gaf Eirekr „Jarl mála mönnom ſinom, ſem ſidr er „höfdíngia í ödrom löndom, hann gaf „Byrni Gullhríng thann er ſtód hálfa „mörk, ok naut hann at thví vaſkleika „ſíns; Thordi gaf hann Sverd, godann „grip at qvædis launom„ i. e. *Sic ad feſtum Iolenſe transacta hyems; Octauo autem feſti die Ericus Comes, ad exterorum Principum conſuetudinem, ſuis ſtipendia perſoluit, Biorno, tam propriae fortitudinis, quam Sculae cognati cauſa, quae dimidiam marcam pondere aequaret, armillam auream; Thordo vero, ob carmen*

g) Biarnar Saga Hítdæla Kappa.

men ſibi dicatum egregium gladium donans: Haecce donaria veſtibus, armis, aliisque magni pretii ornamentis, imo et pecuniis conſtitiſſe, innumera monſtrant veterum exempla, ex quibus ſpeciminis loco hic adducere ſufficiat, Sigurdum Orcadum Comitem Hlodveri filium, qui Thorſteno, Halli a Sida filio, ſecurim auro obductam *h*); Kario Solmundi gladium optimum et haſtam auro obductam, Helgio Niali filio, armillam et tunicam, Grimo vero Clypeum et gladium, dedit dono *i*): Haquinum Noruegiae Comitem, Gunnero de Hlidarenda *k*); Gunnhildamque Noruegiae Reginam, Ruto, armillam donantem *l*); Athelſtanum denique Angliae Regem, qui, Egillo Scallagrimio, praeter ingentem pecuniae vim, pro caeſo in praelio fratre perſolutam, carminis ſibi dicati praemium duas armillas, tunicamque maximi pretii *m*), et tandem ob praeſtita ſibi auxilia, navim onuſtam, cum mercibus vna, diſcedenti dedit *n*): Idem de donariis, quibus Poëtas ſuos vetuſtorum Regum ornare munificentia ſolebat, hic non recenſendis, ferri iudicium poteſt. Hae cauſae ſunt, cur tam eos, qui aulam, quam qui piratarum ſigna ſecuti fuerant,

 ho-

h) Thàttr Thorſteins Sido Halls Sonar.
i) Niàls Saga cap. 79.
k) ibid. cap. 27.
l) ibid. cap. 6.
m) Egils Saga cap. 55.
n) ibid. cap. 63.

honoribus et diuitiis auctos in patriam rediisse frequentes adeo auctores tradant, et in his, de Thorleiko agens, Laxdalensium historia: „Thorleiki Bolla Syni hafdi gott ordit til fiár „oc vyrdingar, thví hann hafdi gerzt „handgenginn Olafi Kongi Helga „ i. e. *Thorleikus Bolli filius, quippe Olai Sancti Noruegiae Regis satelles factus, dignitatem sibi et opes pari successu comparauerat;* quibus similia de Bollio, Thorleiki fratre, qui suam multis Principibus fortitudinem probauerat, refert: „Bolli hafdi mikit fe ut, ok marga „dyrgripi, er höfdingiar hofdo gefit ha„nom „ i. e. *Bollius magnam pecuniae vim, et multa, quae ei Principes dederant, pretiosa reportauit;* nec diuersum nobis Thorolfum ab exteris reducem, Egils Saga o) sistit: „Tho„rolfr bióżt, til Islands at finna fedur sinn, „hann hafdi thá lengi á brott verit, hann „hafdi thá ok ugrynni fiár, ok marga dyr„gripi „ i. e. *Thorolfus, post diuturnam in exteris moram, vt patrem reuiseret, Islandiam ire parabat, ingenti pecuniae summa, multisque cimeliis ditatus:* De opibus et honoribus a piratis auctis nullum esse potest dubium, quibus et fortitudinis exercitia, et pecuniae acquirendae studium, maximo, ad hocce vitae genus, fuere incitamento: Vtrisque autem, in patriam reducibus, insigni donaria haecce fuere orna-

o) cap. 38.

ornamento, non tam interni valoris et pretii causa, quam quod certissima et euidentissima gratiae Regiae, honorumque iis delatorum essent indicia, reique strenue gestae praemia; quomodo Thorfinnus nobilis Noruegus, Grettero Islando, multas magni pretii vestes *p)*, tandemque, ob liberatam, latronum caede, domum, qua per totam vitam vsus est, machaeram optimam, petenti prius denegatam, dedit *q)*. Accedit quod Regum, qui talia dedere, fortuna, cum iure vna dominii, ad nouum possessorem deuolui, illique perpetuis vitae auspiciis adhaerere, olim crederetur; Id Haconis Norvegiae Comitis, quam Thorgerdae Hörgabrudae, ardentibus precibus, extorserat, armillam, Sigmundo Bresteri filio; tradentis verba indicant *r)*: „Ek villda at hun „leti lausann Ríng thann, er hun hefr á „hendi ser, áttu Sigmundr af theim Ríng „heillir at taka; - fær Jarl Sigmundi Rin„ginn, ok mælir sva, at thessom Ríng „skylldi Sigmundr eigi lóga„ i. e. *Vellem nobis, quam brachio gestat, armillam concederet, ex hac enim tibi, Sigmunde, fortunae sumenda sunt auspicia, - Comes Sigmundo armillam tradidit, adiecto, ne eam ad alios transferri, suaque excidere possessione pateretur.* Ne

E 5 quis

p) Grettis Saga cap. 26.
q) ibid. cap. 68.
r) Olafs Saga ed. Isl. Lib. I. pag. 127.

quis autem haec, vel operationes magicas, vel ſpecialem Numinis tutelam, ardentiori inuocatione impetratam, propius reſpicere obiiciat; tenendum eſt: 1. Thorgerdam illam Haconis tutelare numen fuiſſe, iam fortuna Regia, quam noſtri tam frequentes crepant, re vera nihil aliud eſt, quam quale Romanos ſuis aſſignaſſe Principibus compertum eſt, particulare numen vel genius, vnde hoc ſenſu talis numinis vel genii tutelam cum fortuna Principis idem eſſe apparet. 2. Quae Hacon, fortunam et tutelam numinis ſui Sigmundo conciliaturus, ſolennia adhibuit, maius, ſi accuratius paulo perpendantur, noſtrae ſententiae robur addunt, modumque, quo fortuna haecce communicari credita, detegunt: ſcilicet Hakon, quo fortuna ſua ſimplici alias et nuda verborum formula denunciari ſolita, Sigmundo magis eſſet rata, conſuetudini, externam precum et adorationis addidit ſolennitatem; Aſt ne huic exemplo diutius inhaeream, en Gamlii Regis ad Thordum Hraedam, a ſe diſcedentem verba *s)*: „her er „eitt Sax er ek vil gefa ther er ek hygg at „gipta man fylgia, thar med ſcal fylgia „vinátta mín; - theſs bid ek thik, at thu „gefir engom manni edr lógir nema thu „eigir höfut thitt at leyſa„ i. e. *Ecce, quam tibi dabo, machaera, cui fortunam comitem fore auguror, mea autem amicitia ſequetur; - ne*

s) Thordar Saga Hrædo cap. I.

ne igitur ulli dones, aut ex tua elabi possessione permittas, rogo, nisi vita tibi sit redimenda. Imo ne Christiana quidem religione introducta, exstirpatam hancce opinionem, Imperatoris Germanici ad Knutum Lavardum dicta monstrant *t)*: „ther skulut thiggia af „mer klædi, - oc thess vænti ek, ef ther „eigit klædinn, at thar fylgi hamingia „ydar ok ríkis ydar eptir„ i. e. *Vt vestes a me dono accipias opto, - spero autem si has retineas; fortunam tuam et regiminis tui secuturam.*

§. XXII.

His ita expositis, quid aulica nostratium vita monumentis eorum historicis, auctoritatis addat, vel me tacente apparet: Vt enim praeteream, fieri non posse, quin, qui indiuidui Regum Principumque erant comites, rerum, quas gessere, accuratam satis simul acquirerent cognitionem; nostratibus certe, quo hanc maiori diligentia sectarentur, praegnantem, studiorum, quibus inprimis dediti fuere, imo ipsa officii ratio, imposuit necessitatem: Nam ab habitata inde Islandia, ad seculi XIII. finem, Islandis, non tantum quos adierunt, Principum gesta, carminibus coram recitatis celebrandi, solennis fuit consuetudo, sed et Poëtarum Regiorum officio, in aulis borealibus fre- quentes

t) Knytlinga Saga cap. 90.

quentes adeo fungebantur, vt ab Haraldo Pulchricomo, ad Ericum vſque *Cleri Oſorem* dictum, vix vnus Noruegiae Regum detur, quem non vnus pluresue ſaepius Islandorum, illi coaeui aut familiares, vel carmine celebrauerint, vel ei Poëtarum Aulicorum officium praeſtiterint. Nec Sueciae, Daniae et Angliae Regibus, Comitibusque Orcadenſibus, ſuos ex Islandorum gente encomiaſtas et Poëtas Aulicos defuiſſe, Canutidarum, Daniae Regum et Comitum Orcadenſium Hiſtoriae, Islandorum carminibus maxime ſuperſtructae, Gunnlaugus Ormstunga, qui Olaum Skautkonung, Sueciae, et Ethelredum, Egillus Scallagrimius, qui Ethelſtanum, Angliae Reges, Arnorus, Comitum Poëta dictus, qui Orcadenſium Comites, carminibus celebrauere, et alii plurimi, ſuis monſtrant exemplis: Quales Poëtas, cum principem inter aulicos tenerent locum, ſecretiorumque conſiliorum fierent participes, vt dignitatis incrementa Regum familiaritate acquiſiuiſſe, ita accuratiſſimam rerum ab iis geſtarum notitiam habuiſſe, certum eſt. Hinc etiamſi, qui ſuperſunt hiſtoricorum noſtratium plurimi, res ante ſua tempora geſtas literis conſignauerint, eis tamen, coaeua ipſis factis monumenta ſecutis, et Poëtarum ſatellitumque, ipſis olim Regibus familiarium ore loquentibus, cur fidem denegemus, ratio ſatis valida non ſuppetit, cum eorum opera hiſtorica, qua his nituntur documentis, ſui

ſui temporis hiſtoriam reipſa contineant, et ipſis aequalia factis videri queant. Haud difficile mihi foret, per ſingula eundo monſtrare, omnium fere, quae noſtri deſcripſere, exterorum Regum ac Principum facta, talibus, quae ipſas res geſtas aetate aequant, niti monumentis, Poëtasque et alios inſignis ſapientiae, dignitatis, et auctoritatis viros, nominatim recenſere, qui ſingulorum Regum geſta ad Islandos transtulere, niſi multa, quae Ser. Reg. Dan. Lib. I. et tam in Prolegomenis, quam ipſo Hiſtoriae Noruegicae corpore Torfaeus, in Chronico vero Noruegico Sturlaeus, et alii noſtratium alibi, hac de re, annotauerunt, retexere nollem et recoquere; inprimis cum id hiſtoriam litterariam antiquam propius ſpectet, et ob exemplorum multitudinem, ſingularem poſtulet, ob ipſius autem argumenti dignitatem mereatur, tractatum. Igitur exemplorum inſtar nobis hac vice erit cautela, qua Hiſtoriae Noruegicae partem a ſe conſcriptam, munit auctor nobilis, hunc in modum: „Væit ek at ſva man thi-„ckia, ef utanlandz kemr theſſi fráſögn, „ſem ek hafi miök fráſögnina haft af Is-„lendzkom mönnom; enn that ber til theſs, „at their Islendſkir menn, er theſſi tidindi „ſáo edr heyrdo, báro híngat til landz frá-„ſagnirnar „ i. e. *Equidem ſcio viſum iri exteris, ſi ad eorum forte aures hiſtoria haecce perveniat, me Islandorum relationes inprimis eſſe ſecutum,*

ſecutum, id autem ea de cauſa factum eſt, quod harum rerum notitia, qui eas ipſi videre vel audiuere, Islandis, in patriam reducibus debeatur. Noruegicarum in ſpecie rerum notitiam, qua veteres Islandi gauiſi ſunt, haud parum promouit inſignis gratia, qua Islandiae Proceres eorumque filios vel cognatos, ad ſe venientes, Noruegiae Reges, proſeqni ſolebant, ita ſe facillime Islandos, his auctoribus et conſultoribus, ad ſpontaneam deditionem adducturos ſperantes; qualis fauor, nobilium Islandorum bene multos, non ad illorum tantum ſatellitia certatim inuitauit, ſed interioris quoque conſilii fecit participes. Ex multis vnum nomino Olaum Sanctum, cuius in Islandos ſtudium his verbis vita eius proponit: „Sidan fóro af Islandi margir metordamenn, their ſem handgengnir gerduz „Olafi Konongi, Thorkell Eyulfsſon, Thorleikr Bollaſon, Thordr Kolbeinsſon, Thordr „Barkarſon, Thorgeir Havarſon, Thormodr Kolbrunar Skálld. Olafr Konongr „hafdi ſendt vingiafir mörgom höfdingiom „til Islandz, enn their ſendo hanom thá luti, „er their vænto at hánom mundi hellzt „Sendíng i thickia, enn í theſſo vinátto „marki er Konongr gerdi til Islendinga, „bioggo enn fleyri lutir undir, ſem ſídar „urdo berir„ i. e. *Poſthaec multi nobilium ex Islandia profecti, Olai Regis ſatellitio adſcribebantur, Thorkillus Eyulfi, Thorleikus Bolli,*

lii, Thordus Kolbeini, Thordus Barki, Thorgerus Havari, Thormodus Kolbrunae Poëta. Rex multis magnatum Islandiae donaria miserat, qui ei viciſſim, quae digniſſima iudicaturum ſperabant, miſerunt dona; His autem, quibus Rex Islandos proſecutus eſt, amicitiae indiciis, plura, quae dies docuit, ſuberant.

§. XXIII.

Mercatorum veterum commerciis, Regumque borealium ſatellitiis, qua inſtitutum ferebat, leui hactenus penicillo adumbratis, reliquas peregrinationum antiquarum ſpecies coronidis loco ſubnectam, quas, quo fuere longiores, eo et maiori veteres commendationi duxiſſe, ſequentibus Bollii verbis Laxdalenſium hiſtoriae auctor innuere videtur: „that hafda ek í hug „mer, tha er ek for af Islandi utan, at „eigi ſcylldi til min at ſpyria i ödro huſi„ i. e. *Cum ex Islandia peregre proficiſcerer, ne in proxima domo quaerendus eſſem, in animo habui.* Ad hanc primo claſſem itinera Conſtantinopolitana pertinent, non illa quidem, quae ſtipendiorum faciendorum, et fortitudinis, exercendae gratia inprimis ſuſcepta, ſupra tetigi, ſed quae nouitatis, quae peregrinarum regionum inuiſendarum cauſa, quae laudis gloriae, et, quos exterorum Principum commercia, peregrinantibus deferre credita ſunt, honorum ſtudio, maxime inſtituebantur. Talium nobis peregri-

grinationum, Rognvalldus Orcadensium Comes, memorabile suppeditat exemplum, de quo quae dicenda sunt, quin Islandis et pro re nata tribui queant, non dubito, cum aliunde constet, multos eorum, similibus ductos rationibus, eius generis itinera, partim proprio Marte suscepisse, partim Regibus et Principibus ita profectis, frequentes adfuisse Comites. De Rognvalldi autem itinere praestat ipsum audire Orcadensium historiae auctorem *u)*: „that sumar kom utan af Miklagardi Indridi Ungi, „hann hafdi thar verit lengi á mála; kunni „hann theim thadan at segia mörg tídindi, „thotti mönnom skemtan at spyria hann „utan or heimi; Eitthvert sinn er their „Jarl tölodo, tha mællti Indridi; that „thikir mer undarlegt, er thu villt eigi „fara ut i Jórsalaheim, ok hafa eigi sagnir „einar til theirra tídinda er thadan ero at „segia; er slikom mönnom best hent thar „saker ydvarra lista, mantu thar best vyrdr „er thu kemr med tignom mönnom; ok „er Indridi hafdi thetta mællt, flutto that „margir adrir med hanom, ok eggiodo at „hann skylldi geraz fyrirmadr at ferd thessari; - ok er their Jarl ok Indridi redo „thetta med ser, thá reduz marger göfiger „menn til thessarar ferdar; - var thessi „ferd hin, frægasta, ok thokto their meiri „háttar

u) cap. 75.

„háttar menn ſidan allir enn ádr, er farit „höfdo „ i. e. *Qua Rögnvalldus Bergis commorabatur aeſtate, Indridius Junior, Conſtantinopoli, vbi diu ſtipendia fecerat, redux, multa, quae non minori audientium ſtudio quam delectatione quaerebantur, ex terris procul disſitis noua narrauit. Hic cum Comite aliquando collocutus, mirum, inquit, mihi videtur, te in terram Sanctam proficiſci nolle, ſed ſolis rerum, quas inde notatu dignas fama adfert, narrationibus acquieſcere, cum tamen tui ſimiles, ob artes, et quae corporis exercitia profiteris, talibus itineribus ſint aptiſſimi, nec aliter eſſe queat, quin tu, ad eminentis dignitatis viros veniens, maximo afficiaris honore; Haec Indridio identidem ſuggerenti, multi adſenſere, vt huius ſe profectionis Ducem Comes adiungeret, hortati: Quibus mutuo Indridii et Comitis conſenſu roboratis, multi nobiles viri itineris ſocios ſe addidere, cuius tanta fuit celebritas, vt omnes, qui vna proficiſcebantur, maioris notae viri poſtea haberentur.* Praeter hos et alii ſunt, quibus talia ſe itinera commendarunt, vſus: et in his primo, *fortitudinis exercitia, reique militaris ſcientia:* Nam licet iſtiusmodi profectiones, nec piraticae exercendae, nec ſtipendiorum faciendorum, nec peregrinarum denique Regionum ſub iugum mittendarum cauſa, proprie ſuſciperentur, ipſi tamen peregrinantes, Ethnicos in

itinere obuios, ſponte armis laceſſere, tanquam opus Deo gratum, veraeque religionis zelo debitum, ſpectarunt, ſuique adeo officii eſſe duxerunt, quod vel vnica, quam attuli, Rognvalldi profectio monſtrat, qui nonnulla Ethnicorum caſtella et naues adortus, expugnauit, inque poteſtatem redactas, diripuit. Secundo: Quam hoc peregrinandi genus obtulit, *regiminis, ſtatusque* exterorum *politici*, vt et *legum* peregrinarum, cognitionem, maiores noſtros, patriae redditos, in ſuum conuertiſſe vſum, argumento eſt alter Orcadenſium Comes Hakon, qui ciuibus initio haud multum amatus, ex quo itinere Romano-Hieroſolymitano functus, in patriam redierat, mentem mutauit, firmatoque bonis legibus imperio, maximum ſibi ſubditorum amorem conciliauit *x)*: „hann gerdiz thá ſtiórn „ſamr, ok fridadi vel riki ſitt; ſetti hann „thá i Orkneyom ny lög, thau er bón„dom, hugnadi betr enn thau er ádr höfdo „verit, tóko vid ſlíkt at vaxa vinſælldir „hans; Kvam ſva, at Orkneyingar ſtun„dudo ecki annat, enn hafa Hakon at „Höfdingia, oc hans affprengi„ i. e. *Tunc Reipublicae adminiſtrandae curam maiori ardore capeſſens, optatam ditioni ſuae reſtituit pacem, et nouas incolarum ingenio aptiores, Orcadenſibus dedit leges, quo magis magisque amari coeptus,*

x) Orkneya Jarla Saga cap. 39.

coeptus, eo tandem rem perduxit, vt omnia Orcadensium studia, ad Principatum, Hakoni, eiusque soboli asserendum, vnice tenderent.

§. XXIV.

Quatenus regionum et populorum longius dissitorum notitiam, et honores, ex exterorum Principum hospitiis petendos, spectant, non dubito, quin profectionibus Constantinopolitanis aequiparem, imo, ob proficiscentium multitudinem, anteferam *itinera Romana*, quae post introductam religionem Christianam, nostrates, vel propriis adducti deuotionis stimulis, vel votorum gratia persoluendorum, vel flagitiorum denique expiandorum, et, ob emergentes cum clero lites, absolutionis a sede Apostolica obtinendae causa, frequentes obibant. Horum enim itinerum plurima terra fiebant, atque adeo non Romam tantum, vnamue aut alteram Italiae oram, sed florentissimorum tunc temporis Regnorum plurima, maximamque cultioris Europae partem, curiosis viatorum oculis subiecere, Angliam quidem, Orcades, Galliam, Helvetiam, et mari Tyrrheno propiorem Italiae partem, si *Occidentali*, Daniam autem, Germaniam, et vicina mari Adriatico Italiae loca, si *Orientali* eundum vel redeundum esset via. Haec itinerum Romanorum, a Flosio et Kario Solmundi filio susceptorum, rationes euincunt;

 quorum

quorum prior, Sigurdi Orcadensium, et Gilli Hebudensium Comitis hospitiis primum exceptus, deinde in Britanniam profectus, tandem peragrata *Occidentali* Europae parte, Romam venit, vnde, post diuturnas multis in vrbibus moras, variaque honoris indicia a viris magnis exhibita, quae *Orientem* spectauit, via, per Germaniam et Daniam remeauit; Posterior vero a Normannia iter incipiens, per Gallias Romam tendit, eademque via rediit *y*). Praetereo alios huius generis peregrinantes, quorum licet haud exiguus sit numerus, omnes tamen Biornus Einerius nostras, Hierosolymipeta dictus, nominis claritate superat, qui Romam ter iuit, et in terram Sanctam, cum coniuge Olufa, profectus, omnia in suum itinerarium, quod Arngrimi fide *z*) extare scimus, fideliter refereus, nouum vetustae peregrinantium Islandorum diligentiae reliquit documentum. Tot caetera sunt harum peregrinationum exempla, tamque in vulgus nota, vt lectores historiarum studiosos, crassae insimulare ignorantiae merito viderer, si eis immorarer recensendis; earum frequentiam, praeter ipsum religionis zelum, si quid video, arguit, quod huius generis peregrinantium commodis, publicis donationibus succurrere, regia necessum munificentia duxerit; primum hic in scenam pro-

y) Niàls Saga.
z) Specim. Island. Historic. pag. 154.

produco Canutum Magnum Daniae et Angliae Regem, qui in itinere Romano conſtitutus, Hoſpitium (*Spitala* antiqui vocant) inſtituit, quo omnes lingua Danica loquentes, idemque iter ſuſcepturi viatores, noctu exciperentur *a*): cuius exemplum ſecutus Ericus, Daniae etiam Rex, haud procul Placentia Italiae vrbe, magnam pecuniae vim eo fine erogauit, vt omnes peregrinantes ſacri, eo venientes, et Danica lingua loquentes, libero ibi hoſpitio vinoque fruerentur *b*): Reliqua prudens omitto, tantum ſubmonens, talem peregrinationem auctoribus antiquis, *Romferd* et *Sudurgaungo*, ipſos autem peregrinantes, *Sudurgaungomenn*, *Pilagrima* et *Palmara*, i. e. Palmarios, quod palmam praeferre ſolerent, (vid. Du Freſne Gloſſarium, voce *Palmarius*) appellari.

§. XXV.

Equidem veteres Islandos, bonarum literarum et ſcientiarum, nec rudes fuiſſe nec incurioſos, multis probari poſſet argumentis, quae quia a propoſito longius abeunt, hac vice praetereo, non tantum ad amouendum ab hiſtoricis noſtris barbariei crimen, ſed haud leuem quoque illis auctoritatem vindicandam, ſufficere ratus, ſi monſtrauerim, iis ipſis ſeculis, cum Islandi,

a) Knytlinga-Saga cap. 17.
b) ibid. cap. 74.

qua memoriis colligendis, qua hiſtoriis conſcribendis maxime inſudarunt, XI puta, XII et XIII, literarum ſtudia in Islandia maxime floruiſſe: Quod vt probem, ex multis paucula virorum maxime celebrium exempla ſeligam, qui tunc temporis ſtudiorum gratia ex Islandia profecti, florentiſſima in exteris bonarum literarum ſeminaria frequentarunt. Inter hos Isleifum, primum Islandiae Epiſcopum, anno poſt Chriſtum 1080 mortuum, Erfordiae Saxonum literis operam nauaſſe, Append. Libri Origg. Isl. *c*), et Hiſtoria Relig. Chriſt. in Island. introd. *d*) perhibent. Cui proximus Saemundus Sacerdos Polyhiſtor, anno 1132 mortuus, poſtquam in variis Germaniae locis ſcientiis operam dederat, in Gallias, ſtudiorum cauſa, profectus *e*), in patriam tandem reducebatur per Iohannem Augmundi filium *f*), primum Holenſium Antiſtitem, anno Chriſti 1121 mortuum, quem et ipſum, ex ſchola Isleifi dimiſſum, ſtudiorum cauſa ad exteros migraſſe, vita eius tradit. Pari ratione Thorlacus Thorhalli filius, Skalholtenſium Praeſul, anno 1193 mortuus, Pariſienſes et Anglicas Muſas per ſexennium ſecutus, tantum Pontificiae ſuperſtitionis, quam peregre hauſerat, in Islandiam inuexit,

c) pag. 175.
d) cap. 12. pag. 21.
e) Torf. Ser. Reg. Dan. pag. 40.
f) Aro Polyhiſtor, Libri de Islandia, ed. Isl. pag. 10.

vexit, vt ab eius tempore, noua plane religioni induceretur facies, nouo exemplo, veteres Islandos, in patriam reduces, exterorum instituta, quauis occasione data propagasse, et ad ea se composuisse, non secus ac Isleifus, de quo supra dixi, fame in Islandia ingrauescente, Saxonum, inter quos versatus fuerat, more, vota publice suasit suscipienda. Nec dubito quin huc referam Gizurum Legiferum, Halli filium, Teiti nepotem, Isleifi autem Episcopi abnepotem, cuius Sturlungorum historia *g*) tale exhibet elogium: „hann var bædi vitr ok mál„sniallr, hann var Stallari Sigurdar Konongs „födor Sverris Konongs, hann var ok „hinn besti clerkr theirra er her á landi „hafa verit; opt fór hann af landi brott, ok „var betr metinn í Romaborg enn nockr „Islendzkr madr annar, af ment sinni ok „framkvæmd; hanom var vída kunnigr „um sudrlöndinn, ok thar af gerdi hann bók „tha er heitir FLOS PEREGRINATIONIS.„ i. e. *Erat et sapiens et disertus, Sigurdi autem Regis Hierosolymipetae, Sverreri Regis Patris, Stallarius, (Mareschallus) et optimus omnium, quos hucusque Islandia tulit, clericus; Peregrinas terras saepius adiit, et maiori quam vllus alius Islandorum, ob rem bene gestam, Romae mactatus est honore; illi terrae au-*

F 4 *strales*

g) Lib. 4. cap. 5.

ſtrales paſſim erant cognitae, vnde librum confecit, qui FLOS PEREGRINATIONIS *inſcribitur.* Plura cumulare exempla non opus eſt; hinc ad ea, quae hactenus attuli, ſolum obſeruo, huic, quod a peregrinationibus literariis ducitur, argumento, in vindicanda hiſtoricorum noſtratium fide, nouum accedere robur, ſi conſideremus, ipſos hoſce doctiſſimos viros, non hiſtoriarum tantum fuiſſe ſtudioſos, ſed et ad eas conſcribendas ſymbolam contuliſſe: Isleifo, Arius Polyhiſtor, primus hiſtoriae Islandicae ſcriptor, multa debuit; Ario viciſſim alii; nam licet ſolum eius de Islandia Librum, temporum nobis reliquerit iniuria, plura tamen eum ſcripſiſſe eiusdem praefatio docet, et adhuc plurima narrando ad poſteros transmiſiſſe, vnde recentiores hiſtorici ſua irrigauere arua, ipſa Arii auctoritas, a veteribus toties in teſtimonium vocata, euincit: Idem de Saemundo ferendum eſt iudicium, cuius ſcripta, ſiqua fuere, et narrationes hiſtoricas, licet hodie ſub eius nomine non extent, proximorum ſeculorum hiſtoricos non ignoraſſe, ſed ad manus habuiſſe, adductum ab iis non vno loco Saemundi teſtimonium probat *h*): Giſſurum Legiferum nil equidem, quod Islandiae hiſtoriam ſpectet, ſcripſiſſe ſcimus, credibile tamen eſt, monumentis patriis omnem non denegaſſe operam, cuius diligentia, quam hauſerat

h) Torf. Ser. Reg. Dan. pag. 41. 42.

hauserat regnorum peregrinorum notitiam scribendo complecti non omisit. Atque haec (liceat Summi Viri *i*) verba in rem meam vertere) attulisse satis fuit, *vt ostensum darem, quam literariam vocamus doctrinam, postquam diuina eam huc* (in Islandiam) *intulit Prouidentia, neutiquam in truncos aut caudices incidisse: Praetereaque vt pateret, quantum nonnulli ex hodierno philosophantium et Criticorum genere desipiant, ac insignem stultitiam suam prodant, dum inepta ad Philosophiam, nec nisi mediocria ingenia; sub Septentrionali coelo nasci, comminiscuntur.*

§. XXVI.

Cum igitur veteres, tot tantisque ad peregre eundum ducerentur rationibus, mirum non est, eos, peregrinandi studium, vt viris principibus dignum, magni fecisse; vice vero versa, qui id insuper habentes in patrio solo consenuere, effoeminatae desidiae crimine onerasse; quas veterum sententias respexit, fabulosus alias Samsonis Formosi vitae auctor, ita principem locutum faciens *k*): „Ek villda ther fengit mer scip ok „menn, ok vil ek fara or landi, ok Kynna

F 5 „mer

i) Ioh. Grammii in Orat. de Origine et Statu rei literariae in Dania et Noruegia, vid. Dænische Bibliothek VII Stück pag. 446.

k) cap. 4.

„mer ukunnigra höfdingia Sido, ok vita ef „nockot má til frægdar verda, edr nockrn „thann afla fá, at ver mættom ofs vidhallda, „ok varn heidr Kynni at bæta, fva ver fi„tiom eigi heima, fem mær til Kofta„ i. e. *Vellem mihi naues copiasque traderes, conftitui enim peregre proficifci, perfpectisque exterorum Principum moribus, experiri, num quae celebritatis vel facultatum obtingat acceffio, qua nos fuftentare, noftrumque augere honorem poffemus, ne virginis inftar, procum exfpectantis, domi femper haereamus:* Vlterius autem illuftrat Laxdalenfium hiftoria, haec de Thorleiko referens: „Thá ræddi Thorleikr vid modur fína at „hann villdi utan fara, leydizt mer at fitia „heima fem Konom„ i. e. *Tum Thorleikus matrem allocutus, peregre fe profecturum dixit, fcilicet, inquit, me mulieris inftar domi morari taedet.* Omnium tamen maxime confirmant, Sigurdi Hierofolymipetae Noruegiae Regis ad Eyfteinum fratrem de itinere fuo Hierofolymitano verba *l*): „That hefir verit mál manna, „at ferd fu, er ek fór or landi, væri helldr „höfdinglig, enn thu fatz heima ámedan „fem dóttir födur thíns„ i. e. *Hominum fermonibus vulgatum eft, quam fufcepi peregrinationem viro principe fuiffe digniffimam, tu autem interea, vt filia patris tui, domi latuifti.*

Quantum,

l) Chron. Norv. ed. Suec. Tom. II. pag. 257.

Quantum, tam in delectando, quam moerore, curis, et anxietate animi, depellendis, peregrinationibus antiquitas tribuerit *m*), iam nec persequar, nec plures peregrinationum vsus rationesque hoc loco enumerabo, quam enim hactenus allata, eorum, quae me supra probaturum promisi, non faciunt, quae hac de re dicenda supersunt, haud, credo, extorquebunt fidem; Igitur Coronidis loco moneo, quae illis sperari maxima seculis potuit, peregrinationum vtilitatem Islandiae ideo denegari non posse, quod qui nostratium peregre proficiscebantur, perpetuas sibi apud exteros raro eligerent sedes, sed posthabitis, quae saepius offerebantur, splendidis satis conditionibus, quod reliquum erat aetatis, patriae tribui satius ducerent, ipsique maxime convenire naturae putarent, vt, quae ortum dederat patria, prudentiae peregrinando comparatae perciperet fructum: Hoc patriae desiderium in sui temporis Islandis notauit seculo Christi X vivens, Háquinus Noruegiae Comes, cuius haec ad Finnbogum circumferuntur verba *n*): „mantu vilia fara til Islandz, fer ydur sva flestum er ther komit í gylldi vid Höfdingia edr í Kiærleika thá vilit ther thegar á „brott„ i. e. *Iam tu forte Islandiam repetere cupis,*

m) Brand Kroffa Thàttr cap. 2. Hrolfs Saga Kraka cap. 15.

n) Saga af Finnboga Rama cap. 18.

cupis, quemadmodum plurimorum veſtratium mos eſt, quos vt Principes Viri honore et amore proſequi incipiunt, ſtatim abitum parant. Haec recentiores quoque, et in his quidam erga Islandos non admodum bene affecti, obſeruantes, occaſionem inde calumniandi, gentisque, vtpote quae domeſticam miſeriam lautiori, apud exteros, et feliciori vitae ſtolide praeferret, traducendae, ſumſerunt: Caeterum non deſunt, quae huic crimini, ſi non penitus amouendo, ſaltem mitigando inſeruiant, praegnantes ſatis patrii huius deſiderii cauſae, quas, ſi ex rei veritate, et animi ſententia perſequi vellem, nec aliis forte Islandorum, nec mihi ipſi gratas, prudens omitto.



DIS-



DISQVISITIO ALTERA DE PHILIPPIA, SIVE AMORIS EQVINI, APVD PRISCOS BOREALES, CAVSIS.

CONSPECTVS.

Quae de rebus minoris momenti, veteres historici interdum narrant, frustrà non esse, sed occasionem et rationes rerum gestarum continere, moresque populi illustrare, probant, quae de equis apud priscos Boreales magni factis, saepius tradunt, quorum variae adferri possunt causae. §. 1.

SECTIO *I. De amore equorum in genere.*

Immodicum equorum studium, in variis personis et populis, Scythis etiam, obseruatum. §. 2.

A quibus ad primos Septentrionis incolas videtur propagatum. §. 3.

Idem Danis et Suecis tribuitur. §. 4.

Norvegis autem et Islandis. §. 5.

Tales equi, a laboribus exemti, et sobolis causa, gregatim distincti, per pascua disponebantur. §. 6

SECTIO *II. Rationes equini amoris physicae.*

Hae vel externae, vt venustas, ex colore, vnde nomina saepe equis indita, etiam diiudicandae. §. 7.

Vel

Vel internae, vt viuax ſenſus et imaginatio, vnde auſpicia ab equis ducta. §. 8.

Quae, praeter Germanos, Islandis inprimis, fuere in vſu. §. 9.

SECTIO *III. Rationes equini amoris a religione ethnica ductae.*

Gentium, in equis Soli conſecrandis, ſuperſtitio ex Eliae Prophetae hiſtoria vix eſt orta. §. 10.

Sed ex veterum, dogmata Sacra et Phyſica ad ſenſum communem reducentium, imaginatione. §. 11.

Equi, a borealibus, Odino non tam adſcripti, quod antiquiſſimum Solis cultum, in ſe tranſtulerit. §. 12.

Quam quod rei equeſtris, a maioribus traditae, eſſet ſtudioſiſſimus, et equos, dum vixit, impenſe amaret, iisque, in exercitiis beatorum locum eſſe vellet. §. 13.

Haec ratio, cur equi Diis ſint immolati, conſecrati, imo pro Diis interdum culti. §. 14.

Carnis equinae, in ſacris Borealium epulis, eſus. §. 15.

Eius ratio eadem, quae epularum apud gentes ſacrificalium, quae non ad imitationem Iudaeorum inſtitutae. §. 16.

Sed, vel ad communicationem cum idolis ſignificandam. §. 17.

Quam Theologia Ethnica Borealium etiam admittit. §. 18.

Vel, ad pacem publicam conſeruandam. §. 19.

Vel denique, ad primorum quae cibis conſtabant ſacrificiorum exemplum. §. 20.

SECTIO *IV. Rationes equini amoris Oeconomicae.*

Equina caro, haud vltima olim, apud Ethnicos, inprimis Islandos cibi vulgaris pars; eius eſus, Chriſtiana religione adhuc recenti, Islandis permiſſus, cordatioribus tamen exoſus; qua occaſione Olaus Triggvinus Norwegiae Rex contra Reenhielmium defenditur. §. 21.

Equitatio et vectura Islandis inprimis propriæ. §. 22.

Quae-

Quaestus ex equis factus. §. 23.

SECTIO *V*. *Rationes equini amoris ad exercitia corporis et rem militarem spectantes.*

Equorum in militia vsus, et strenua sui defensio: Vnde rei equestris peritia exercitiis, forti viro vtilibus, olim annumerata. §. 24.

Huc certamina equestria ludicra spectabant, et in his Hippodromia. §. 25.

Hippomachia. §. 26.

Hastiludium. §. 27.

Hinc equi inter donaria, Regio fastigio haud indigna, quondam numerati. §. 28.

§. I.



Quemadmodum contra ipsam historicorum antiquorum auctoritatem multa passim vibrantur dubia, ita, qua vsi sunt, scribendi methodus, plurimis dissentientium exceptionibus est obnoxia. Tot, inter caetera obiiciunt, quae absque insigni vix perlegi taedio queunt, colloquiis plena sunt veterum historicorum volumina, vt te fabulam vel dialogum, non historiam legere iurares; tot, de rebus, relatu non admodum dignis, narrationes, quae momentum trahunt, factis, admixtae, vt haec persequi, et in succum vertere volentem, futilis illarum retrahat turbetque varietas. Ast haudquaquam desunt, quae instantiis hisce historiarum antiquarum periti reponant; Et quidem hoc primum: Si colloquia

quia iſta, vitiorum ſunt habenda loco, non id ſcribentium, ſed ſeculi eſt vitium, quo, quem foecunda Gallorum Anglorumque ingenia iam pridem introduxere, hiſtoriarum, vt vocant ratiocinatarum (*des hiſtoires raiſonnées*) vſus, noſtro nondum Septentrioni erat cognitus. Secundo: tantum abeſt, vt, quae colloquiis familiaribus conſtat, methodus hiſtorica, vitio noſtris ſit vertenda, vt inſignis potius ſit, qua plurimarum gentium hiſtoricos antecellunt, praerogatiua: Eſt haec methodus, vt maxime *naturalis*, ita ſcribenti *tutiſſima*, *minimae offenſae*, *minimisque obnoxia periculis*, et denique, quod caput rei eſt, *maxime adaequata*: Qui omnia, quae hiſtoricum occupant, hominum negotia, mutuis commerciis, et commercia viciſſim ipſa, ſermone, ſcriptoue peragi nouit, ſi communem modo non exuat ſenſum, dubitare nequit, eam naturae maxime conuenire methodum, quae ipſos negotiorum auctores et adminiſtros, proprio ore loquentes introducit. Nec euidens minus eſt, hanc, minori offenſae, minori periculo obnoxiam, atque hinc teneris hominum ingeniis maxime eſſe accommodatam; facilius enim eum omnes ferent, facilius a ſe inuidiae et temeritatis culpam amouebit, nec directe adeo pungit,

git,

git, qui, hauſta aliorum ex ore, veluti ex obliquo, proponit ratiocinia, quam qui ſe ipſe cenſorem obtrudens, tanquam ex tripode ſententiam dicit. Nec tutior alia et facilior ſcribenti methodus eſt; nam, qui hac vtitur, in vnico ſolum colloquio, eiusque cum proxime antecedentibus nexu, attentionem ſimul defigere neceſſe habet ſuam; qui contra conſuetam, quae *ratiocinata* audit, hiſtoriae conſcribendae normam ſequitur, laborioſa abſtractarum idearum formatione ſemper exerceatur, totumque hiſtoriae connexae ambitum, vno ſibi obtutu repraeſentet oportet: Praeterea facilius conferuntur et opponuntur, quae reciproca rationum, ipſi negotiorum naturae aptarum, lance coram ponderantur argumenta, quam quae, velut aliunde, per operoſas ſaepe ambages petuntur. Eſt denique methodus haecce maxime adaequata, quippe in qua quodlibet fere colloquium, ingenium gentis, de qua eſt ſermo, velut in ſchemate refert; quem illius effectum, quaelibet fere hiſtoricorum vetuſtorum pagina, merito admirandum, nobis ob oculos ponit. Nec eandem colloquiis fingendis, quam rationibus factorum, abſtractionis ope, ſtabiliendis, ineſſe difficultatem, iure poteris obiicere; Nam primo facilius inueniuntur, quae

iuxta naturae ordinem, materiam colloquio praebere poſſunt, proximae rationes, quam remotiores et vniuerſales factorum cauſae: Secundo haud putandum eſt, hiſtoricos ipſos omnia haecce finxiſſe colloquia, ſed tanta veterum in hiſtoriis conſeruandis fuit cura, vt non facta ſolum, ſed et, quae eo ſpectabant, verba, memoratu digniſſima poſteris per manus traderent, cuius rei argumentum, antiquorum Poëtarum carmina, per multorum ſeculorum decurſum, narrando ad poſteros transmiſſa, praebent. Interim non diffiteor, ſuis hancce methodum vrgeri incommodis, quo nimiam prolixitatem, et inaequalem ſibi ipſi, atque lepidum minus ſtylum refero, quae tamen tanta non ſunt, vt inſignibus, quibus ſuperbit, commodis, obducere caliginem queant. Quas priſci hiſtorici attuliſſe forſan videbuntur, minutiae, nec omnino fruſtra ſunt poſitae, ſed populorum borealium ingenium, opiniones, mores et viuendi rationem illuſtrant. Hoc vt probarem, quae talium deprehendere minima potui, ex Antiquitatibus mihi ſelegi illuſtranda, ratus, ſi quid de his, lectu non omnino indignum afferri forſan poſſet, reliquorum, quae maioris paulo ſunt momenti, in Antiquitatibus enodandis uſum, eo magis extra dubium

dubium poni, quo ampliori difcurfui eorum praebere natura materiam poteft. Hinc qualiscunque haecce Disquifitio nata, quae adductis, quas prifca viuendi ratio fubminiftrat, equini amoris caufis, extra dubium ponat, antiquos Septentrionis incolas in genere, et in fpecie Islandos, maximo femper in pretio equos habuiffe, atque eos ideo, vel ipfis haud indigna Regibus donaria aeftimaffe; Cum autem iftiusmodi caufae, vel *Phyficae* fint, ex ipfa equorum natura; vel *Oeconomicae*, ex eorum in vita communi neceffitate et vfu defumtae; vel *Militares*, in iuventute, exercitiis corporis affuefacienda occupatae; vel denique *Religiofae*, Theologiam gentilem et idololatriam veterum fpectantes, operam fruftra prorfus locaffe non videbor meam, fi quaedam veterum oeconomiam, mores, ingenium et religionem illuftratura, hinc inferre valeam et ftabilire; prius tamen moneo, fi vel tales in Auctoribus vetuftis deprehendi minutiae poffent, quibus nulla alia tribui vtilitas poteft, omnes tamen factorum vel occafionem, vel circumftantias continent, atque hinc ad laudem veterum minuendam adhiberi non debent, fed multo magis idoneum fatis, exactae eorum in hiftoriis confignandis diligentiae fuppeditant argumentum.

 SE-



SECTIO I.

DE

AMORE EQVORVM IN GENERE.

§. II.

Ad historiam antiquam si recurramus, singulare equorum studium, non plerisque tantum gentibus commune, sed ipsis fere populorum originibus coaeuum fuisse, praeter vetustissimos Aegyptios, maximos equorum, Bocharto *a*) et Cypriano *b*) testibus, amatores, exemplo sunt varii magni nominis viri, Graeci iuxta ac Romani, imo ipsi Imperatores, Iulius Caesar, Alexander Magnus, Antonius Verus, Caligula, Commodus et alii a Frantzio *c*) nominati; inprimis tamen plurimi Orientalis Europae et Asiae populi, qua rei equestris, qua equorum studiosissimi, ex quibus Assyrios et Cappadoces Cyprianus *d*); Thessalios Plato *e*); Persas autem Bochartus memorat, quos a rei equestris studio, Cyri tempore introducto, nouum Persarum, quasi Para-

a) Hierozoic. Lib. II. cap. 9. p. 170.
b) Histor. Animal. Tom. I. p. 630.
c) Histor. Animal. T. I. p. 58.
d) Hist. Anim. T. I. p. 631.
e) In Hippia, ed. Serran. Tom. III. p. 284.

Parasim, vel equites dixeris, nomen obtinuisse putat *f*): Quin et simile Scythas equorum studium tenuerit, dubitare nos non permittit Herodotus *g*), equos ab iis Marti offerri solitos tradens, cum ea, quae sacri sunt vsus, magno caetera in pretio haberi ipsa religionis natura postulet.

§. III.

Ex Scythia equorum amorem, cum incolis ipsis, noster accepisse Septentrio videtur: Nam Gigantibus, quae vetustissimorum Septentrionis incolarum vulgata appellatio est, equinum studium tribuit Edda Saemundi in Thrymsquitha, Lokium in Jotunheimos profectum, Thrymum, Gigantum Regem, equis ornandis intentum deprehendisse tradens:

„Thrymr sat á haugî
„Thursa drottinn,
„Greyiom sínom
„Gullbaund sneri,
„Oc maurom sínom
„Maun jafnadi.

i. e.

Thrymus insidebat tumulo
Gigantum Dominus

G 3 *Cani-*

f) Hierozoic. Lib. II. cap. 6. p. 99.
g) In Melpomene ed. Henr. Steph. p. 276.

Canibus ſuis
Aurea ligamina nectebat,
Equis autem ſuis
Iubam circumſcindebat.

Quae licet fabulae quam hiſtoriae videri propiora queant, indicio tamen ſunt, ſi quis equorum ſtudium primis etiam Boreae incolis tribueret, conſentiente veterum opinione haud deſtitui.

§. IV.

Certiora ſunt, quae de equorum apud reliquas Septentrionis gentes amore teſtimonia proſtant; De Danis, ob praeſagia ab equis ſumta, idem tenendum, quod Scythis ſupra (§. 2) tribui. A Suecis antiquis equos etiam magni olim eſſe factos, haud, credo, negabit, qui perpenderit, ea, quorum tanta fuit commendatio, vt Regio faſtigio non indigna, imo ipſis gratiſſima Regibus et honoratiſſima putarentur, ſubditos inferioris ſortis vilipendere vix potuisſe. Hinc omnium Suecorum inſtar nobis erunt Alrecus et Ericus Sueciae Reges, intemperantes adeo equorum, ſi Sturlaco *h*) fides, amatores, vt mutuas ſibi tandem ob equitationis contentionem inferrent manus: „Alrekr ok „Eirekr varo i thróttamenn, that var Sid-„venia theirra, at *rída* heſta, ok temia „thá bædi vid *gáng* ok vid *hlaup;* Kunno „their that allra manna beſt; lögdo their á „that

h) Chron. Norv. ed. Suec. T. I. p. 24.

„that mesta kapp, hver betr reyd eda betri „hesta átti" i. e. *Alrecus et Ericus, vt exercitiis corporis excelluerunt, ita moris illis fuit equos domare, eosque gressui* (ne succussarent) *et cursui assuefacere; eaque omnes alios arte superarunt, maximumque in eo studium posuerunt, vter melius equitaret, vel meliores possideret equos:* Praeter hos Adilsum Suecorum Regem equis etiam delectatum, idem Auctor *i*) memoriae prodidit: „Adils Kon-„ongr var miök Kiær at gódhestom, hann „átti ena besto hesta í thann tíma, Slangver „het hestr hans, enn annar Hrafn" i. e. *Adilsus Rex equos generosos magno in pretio habuit, optimosque eo tempore equos possidebat, vnus equorum eius Slangver, alter Hrafn vocabatur.*

§. V.

Norvegorum erga equos amorem in posteris eorum Islandis, institutorum auitorum imitatoribus et propagatoribus fidissimis, animaduertere licet: Quantus autem in Islandis equorum fuerit amor, quantum studium, innumera vtriusque sexus testantur exempla: Sic Groa foemina nobilis equum Innikrakum reliquis possessionibus longe praetulit *k*): „Groa hafdi „eigi lengi búit, ádr hon ól thann grip „med se í no, er henni thotti betri enn

 „önnr

i) l. c. pag. 39.
k) Droplaugar Sona Saga.

„önnr eign sin jafnmikil, that var hestr, „er hon Kalladi Innikrák, thvíat hann var „inni hvern vetr" i. e. *Groa rem familiarem diu non administrauerat, antequam inter pecudes ei succresceret, quem aliis, aequalis caetera pretii rebus longe praetulit, equus, quem, quod qualibet hyeme domi contineretur, Innikrákum vocauit.* Nec dissimilis Finnbogi in equos amor *l*): „Thorgeir gaf Finnboga „frænda sínom Stódhrofs sim saman, fi- „filbleik at lit; that var ord á, at sá væri „hestr bestr i Nordlendinga fiórdungi, „that er sagt at Finnbogi ætti that sátt í „eigo sinni, er hanom thætti meira um „verdt enn Stódhrossinn„ i. e. *Thorgeirus Finnbogo cognato gregem equinum quinque capitum, flauo colore spectabilem, et in his equum, qui in Quadra boreali generosissimus putabatur, dederat; quibus equis Finnbogum maius plerisque suis possessionibus pretium statuisse fama est.* Viglundum equo suo valde delectatum memorat Viglundar Saga: „Viglundr áttiok „gradann hest godann sifilbleykann at lit, „allra hesta bestr ok fegrstr, hann hafdi „mikil mæti á hestinom" i. e. *Viglundus etiam equum admissarium possidebat, colore roseo, omnium equorum optimum et pulcherrimum, quem impense aestimabat:* Grimketilli vxor

l) Finnboga Saga cap. 23.

vxor torquem pretiofum, et equum Svartfaxa vocatum *m*); Audura equas fuas fcutulatas; Hordus vero quinque equos, maximo in pretio habuit *n*): Quid quod maximae olim dignitatis viri, infra fuam fortem effe non putarunt, equos curare, eisque iubas tondere, vti praeter alios, de Biorno Hitdalenfium Athleta et Gullthorero, vtriusque vita narrat.

§. VI.

Attamen aequali omnes promifcue equos affectu veteres effe profecutos, caue credas: Minoris pretii erant, qui laboribus domefticis quotidie adhibebantur: Maximi contra, equi admiffarii *Stódheftar* dicti, qui per aeftatem in pafcuis liberi oberrabant, certos in greges, fobolis procreandae gratia, diftincti, qualem equorum gregem *StódRofs* hiftorici communiter vocant. Equi hnc maxime generofi feligebantur, quorum progenies ideo magni a veteribus facta, quod fortibus et bonis fortes creari putarent: Quomodo equum Kingalae, equae praeftantiffimae genere cretum, Atlium et Afmundum Patrem maximi aeftimaffe Gretteri vita tradit: Nec exigua etiam formae hic et venuftatis ratio. Hos, per hyemem, faepius domi teneri, pabuloque optimo pafci, a laboribus vero, fi neceffariam, modica ex equitatione,

m) Hardar ok Holmveria Saga cap. 3.
n) Ibid. cap. 19.

ne nimia torporem pinguedo induceret, membrorum agitationem exceperis, eximi folitos, innuunt Ofeigi ad Gudmundum Mödrouallenfem verba o): „Vandhæfi man ther á „vera, at láta geima hefta vora, thviat „their ero allir gradir, ok má engi vid „annann eiga, enn vær erom at theim „vandir miök, thví thetta ero ftodheftar „varir tödoaldir" i. e. *Difficilior fortaffe tibi equorum noftrorum cuftodia videbitur, omnes enim admiffarii funt, neque vnus alterum ferre poteft, nos autem eorum curae maxime ftudemus, quippe qui admiffarii noftri funt, foeno optimo faginati:* Qui autem ex his prouenïebant pullos, quamprimum viribus maturuere, a fe inuicem feiunctos, et in nova denuo equitia difpofitos effe, ex Biorni Hitdalenfium Athletae vita colligo: „Biörn „fendi eptir StódRoffom, er varo hiá Stack„gardi, - Sá heftr var fon Hvítings al„hvitr at lit enn merarnar allar raudar; „annar fon Hvítings var í Thórarinsdal, „ok var fá ok hvítr, enn merarnar fvar„tar." i. e. *Biornus equos, ad foenile afferuatos, fecit adduci, - equus erat Hvitingo,* (admiffario praeftantiffimo) *prognatus, albo colore, equae autem omnes rufae; alter Hvitingo fatus in valle Thorarinsdalenfi fuit, etiam albus, equae vero nigrae.* Vnde, vnicum

o) Líósvetninga Saga cap. 7.

vnicum ad ſingula equitia equum admitti, et cum concoloribus equabus, diſcolorem, quo vario magis colore ſuperba equorum ſpecies gigneretur, committi ſolitum diſcimus.



SECTIO II.

RATIONES EQVINI AMORIS PHYSICAE.

§. VII.

Inter amoris equini rationes, quae ex natura equorum deſumuntur agmen ducunt: Hae vel *Internae* ſunt, vel *Externae:* Internas voco, quae interiore equorum natùra nixae, occultiores eorum dotes propenſiones et affectiones reſpiciunt: Externas contra, quae ſpeciem externam, noſtris magis obuiam ſenſibus ſpectant; Ad has externus animalis ſplendor et venuſtas, vt ex iuſta membrorum proportione, ita ex colore diiudicanda pertinet, quam haud exiguam multis ſingularis in equos affectus fuisſe cauſam, praeter teſtimonia ſupra (§. 5 et 6) allata, evincit Biorni Hitdalenſium Athletae vita, eum equorum, parentis dono acceptorum venuſtate valde delectatum tradens: „fadir „hans gaf hanom, heſt er Hvítingr het, „hann var alhvitr at lit, ok med ſola tva „hvíta,

„hvita, that voro godir gripir;" i. e. *Pater ei albicantis per totum corpus coloris equum, cui Hvítingo nomen, duosque pullos albos, instar maximi pretii rerum, ab eo reputatos dedit:* Nec omnino diuersum suadent, nomina equis a colore indita, qualium exemplum ministrant Thordar Saga Hredo cap. 8, et Vigaglums Saga cap. 13, Ingulfum, equum sibi charum, quod caput album haberet, *Snækoll* (i. e. vertice niueum) appellasse referens.

§. VIII.

Ad interiores equorum dotes referri equidem merito debet, quem ipse Sacer Codex laudat, generosus eorum, et ad tumultus bellicos intrepidus animus, tanquam ratio satis apta, quae huic animali, gentium borealium, rei militaris et fortitudinis laudi, supra omnem modum deditarum, insignem conciliaret fauorem; Verum cum haec ratio, veterum circa equos superstitionibus explicandis minus sit adaequata, alias hic circumspicere oportet. Equum animal esse admodum docile, omnium seculorum experientia, constansque historiae naturalis Scriptorum iamdudum docuit fides; Docilitas naturalem, habitus, actuum vniformium, saepius repetitorum ope acquirendi dispositionem; dispositio vero ista idearum reproducendarum facilitatem, vel, quod idem est, viuacem imaginationem, ipsa denique imaginatio, idearum sensualium viuacitatem supponit; Iam, vt omnium brutorum,

rum, ita equorum, cognitionem, ideis sensualibus maxime contineri, Pneumatologia docet, vnde equorum docilitas viuacium admodum in illis sensationum viuacisque imaginationis, argumentum simul et effectus est. Haecce sensationum et imaginationis viuacitas causa est, cur equus, cognitam sibi, multis licet difficilem diuerticulis viam, ipso saepe certior equite sequatur; quod tam verum esse quam quod verissimum, si quos vnquam, Islandos certe, crebra docuit experientia, qui vel per incognita vastorum montium iuga, vel dubias paludum voragines oberrantes, itineris tramitem, equi arbitrio, tutius haud raro committere queunt, et reuera committunt, quam suo. Hinc etiam est, quod certos tantum sessores nonnulli equi patiantur, alios omnes excutiant, vt de Alexandri Magni et Iulii Caesaris equis, nullos, exceptis possessoribus sessores passis, Ionstonus p), de Hreggvidi autem Russiae Regis, equo Gaungo Hrolfs Saga tradit, qui se nec manibus comprehendi patiebatur, nec vllum in praelium sessorem portare, nisi victorem futurum praesagiret, voluit; Quibus et similibus equorum actionibus, etiamsi, qua personata assentatorum delinimenta, qua malesana fabulandi licentia, varia superstitionum glaucomata obduxerit, quin illae viuaciori paulo sensationi debeantur sanior ratio dubium relinquit nullum: Si enim sessor cognitus

p) de Quadruped. pag. 15.

cognitus ſit, repetitus ſaepius, vniformi methodo, vſus, rationem continet proximam, cur vnum potius alio equus ferat; Si vero incognitus, tum vnius hominis, vel primum viſi, quam alterius aſpectum, ſenſibus equi gratiorem eſſe, genuinas probabilium regulas non magis ſuperat, quam quotidiana canum, vni magis, quam alteri, ſibi ignoto, infeſtorum exempla, imo obuius apud hominem ipſum, in partium oppoſitarum, licet omnino incognitarum, vnam, prae altera, fauor et ſtudium. Nec minor in aliis equorum actionibus, ſenſationum et imaginationis elucefcit viuacitas; Ex hac enim facile intelligitur, cur tam omnes in genere equos, ob quotidianam ſub dio viuendi conſuetudinem, quam vnum magis altero equum, ob propriam cuiuis indiuiduo organorum conſtitutionem, vel illae aëris mutationes, quae humanorum ſenſuum ſubtilitatem fugiunt, viuide ſatis afficiant. Cum autem praeſens quilibet aëris ſtatus, per ſucceſſiuam mutationum praecedentium ſeriem determinetur, has percipiens equus, futuram tempeſtatem facile praeſentit, eiusque metu permotus, receptaculum quaerit. Haec omnia Veteres, cum quotidie fieri viderent, aſt rationem eorum naturalem ignorarent, ſingulari equos ratione, ſingulari praeſagiendi et diuinandi facultate gaudere, perfunctorie creduli ſibi perſuaſerunt: Hinc foecunda ſuperſtitionum mater ignoratio, debitos occultiori cauſarum Phyſicarum

rum

rum influxui, qua mirata, qua immediatae conſcii Numinis, neſcio cuius, actioni, adſcribens effectus, non amori ſolum equorum immoderatò, ſed religioſae quoque eorum venerationi, in ſacris illis et ſolennibus, quae plurimi orbis populi ab equis duxerunt, auſpiciis, inprimis conſpicuae, dedit originem.

§. IX.

Equina haecce auſpicia et ſortilegia, Germanis in genere Tacitus, Rugianis Saxo et Cranzius, apud Keyslerum q), Obotritis vero Ditmarus Merſeburgenſis, et, qui Tacitum exſcripſit Adamus Bremenſis, Maſio r) laudati, adſcribunt. Eadem etiam reliquis Septentrionis populis in vſu fuiſſe, praeter communes cum Germanis, inprimis qua mare Balthicum ſpectant, et vetuſtis Septentrionalibus mores, ſuadere videtur immodicus ille equorum in Septentrione noſtro amor, qui tanto latiorem ſuperſtitionibus, circa eos, aperuiſſe cenſendus eſt campum, quo certius eſt, gentes idolorum cultui deditas, ea inprimis vel Diis conſecraſſe, vel diuinis mactaſſe honoribus, vel vſui denique ſacro addixiſſe, quibus maximum caetera ſtatuere pretium ſolebant. Quin et, priſcos Septentrionales, et in his Noruegos, auſpicia ab equis ducta non ignoraſſe, argumento ſunt veteres Islandi, horum poſteri, quos ſingularem equis rationis gradum,

q) Antiquit. Sept. pag. 323. 324.
r) Maſii Antiquit. Mekleburg. p. 139. 141.

dum, et diuinandi facultatem adſcripſiſſe, Scriptores antiqui extra dubium ponunt: Exemplum praebet, Hrafnketilli, ob deuotum Freyo animum *Freysgoda* dicti, equus, a Freyi, cui facer erat, nomine, *Freyfaxi* vocatus, quem, prohibita ſub capitis poena equitatione ab opilione vexatum, relictis quae ſequi ſolebat equitiis, effuſo domum curſu ſtatim petiiſſe, et illatam ſibi vim hinnitu domino ſignificaſſe, Hrafnkels Saga tradit: Quae etiamſi cauſis naturalibus melius forte adſcriberet, qui laborem vehementiorem et inſolitum, furoris quandam ſpeciem equo induxiſſe coniiceret, praeſentem tamen eius rationem Hrafnketillum inde agnouiſſe, in quae ad equi, ita affecti conſpectum erupit, teſtantur verba: „illa thikir mer, at thu ert „ſva tilgerr fóſtri minn, enn heima hafdir thu vit thitt, er thu ſagdir mer til, ok „ſkal theſſa hefnt verda, ok far thu til lids „thins„ i. e. *Male quidem me habet, te, alumne, dure adeo eſſe tractatum, tuam autem te, quod me de hac re certiorem facere non omiſiſti, rationem' haud deſtituiſſe gaudeo, hinc de ſecutura vltione nil dubitans, gregem tuum repete.* Clarius eſt Aſmundi, de equa Kingala, tempeſtatum praeſaga, teſtimonium s): „Hviſſo á ek „bleykalótta er ek kalla Keingála, hon er „ſva viſs at om vedrátto ok vatnagáng, at „that man alldrig breſta, at thá man hríd „eptir

s) Grettis Saga cap. 16.

„eptir koma, ef hun vill eigi á Jörd gán-„ga „ i. e. *Equam, ex flauo et fusco mixti coloris possideo, quam Keingalam appello, haec de aëris temperie et pluuiis adeo certa est, ut, si sub dio pasci nolit, tempestas indubio euentu sit secutura.* Denique nescio, an et huc Selthoreri exemplum traham, qui nullum alium habitaculo in Islandia constituendo eligere locum voluit, quam in quo equa eius Skalm, longioris itineris et oneris impatiens, requiem quaesiuit, docente Libro Origg. Island *t*): „Herdys „ok thorir foro om varit or Grimsey, ok „vestr yfir heidi til Breidafiardar; Skálm „geck fyrir allt sumarit, ok lagdizt alldrig; „annann vetr varo thau á Skálmarnesi í „Breidafirdi, enn um sumarit snero thau „suthr, thá geck enn Skálm fyrir, thar til „er thau komo suthr af heidinni til Bor-„garfiardar, thar sem sandmelar tveir rau-„dir varo, thá lagdiz Skálm undir klifiom, „undir hinom ydrá melnom, thar nam „thorer land „ i. e. *Vere sequenti Herdisa et Thorerus, Grimseya relicta, versus Occidentem progressi, montibus peragratis in sinum Breidafiordensem venere; Skalma, tota aestate, iter facientibus praeibat, nec tamen vnquam cubando requiem quaesiuit. Altera hyeme, Skalmarnesiae, in sinu Breidafiordensi subsistere; sequenti autem*

t) Lib. II. cap. 5. pag. 34.

autem aestate, cursum versus meridiem vertentibus, Skalnia denuo praeibat, vsque dum ad australe montis latus, qua sinum Borgfiordensem spectat, deuenirent; Erant colliculi duo, arena rubente obducti, sub quorum vno, qui austro propior, cum Skalma sub onere decumberet, Thorerus locum illum habitaculo ponendo elegit: nisi quis haec forte hominis submarini vaticinio, qui singula ita euentura praedixerat, adscribenda putet, cui ego, modo praesagii, equae huic proprii, opinio penitus non excludatur, non magnopere refragor. Quicquid sit, quae adduxi testimonia, veteres etiam Islandos auspicia, quamuis haud eodem, quo apud exteros, solennitatum apparatu ornata, ab equis sumsisse probant.

SECTIO III.

RATIONES EQVINI AMORIS A RELIGIONE ETHNICA DVCTAE.

§. X.

Ad vsum equorum sacrum ducta ab eis auspicia pertinent, quorum ortum ex viuaci eorum sensatione supra deduxi, quam ideo, tanquam naturalem superstitionum equinarum rationem, hic quoque in subsidium vocare nullus dubito. Accedit varia equorum

in

n vita communi vtilitas, quam et vicariam superstitionibus hisce stabiliendis operam praestitisse, eo mihi magis persuadeo, quo certius est, Ethnicos, ea inprimis vel sacris vsibus adhibuisse, vel diuinis mactasse honoribus, quae vitae humanae proficua cognouerunt et vtilia. Plures tamen ad vsum equorum in Septentrione sacrum concurrisse rationes, est credibile: Has meditanti in mentem veniunt Rhodii, Spartani, Massagetae, Aethiopes; Armneii, Persae (quibus tamen huncce cultum non religiosum, sed ciuilem tantum fuisse, magno nisu adstruere conatur Thomas Hyde *u*): et Iudaei, quos Soli equos consecrasse, antiquorum Scriptorum testimoniis probauit Bochartus *x*); nec non Indi Occidentales, Soli orituro instructis curribus obuiam ire soliti, quorum omnium exempla declarant, superstitionem hancce in Oriente natam, per subsequentes gentium migrationes longe lateque postea esse propagatam. Chrysostomus apud Cyprianum *y*), Eliae, equis igneis in coelum sublati historiam, Pictoribus et Poëtis primam dedisse occasionem putat, vt Soli vel pingendo, vel describendo currus equosque iungerent, atque hinc gentes harum superstitionum occasionem sumsisse; quae origo, quamuis

u) in Hist. Relig. veter. Persarum Cap. 4. pag. 120. 122 et alibi.

x) Hierozoic. Lib. II. cap. 10. pag. 176.

y) Histor. Animal. Tom. I. pag. 634.

quamuis ingeniosior quibusdam quam solidior, ideo forte videri posset, quod vix concipi posse putent, qui translati in coelos Eliae notitia, ad tot gentes, longius a se inuicem dissitas, nec a se inuicem ortas, sit propagata; quî eundem illa apud singulas produxerit effectum; et quî, denique vna alterius hac in re instituta assumserit; falsi tamen aperte conuinci nequit, quamdiu sacrorum Soli equorum, Eliae temporibus antiquius exemplum nullum, nullum testimonium adfertur. Praeterea communem nonnullis harum gentium originem, vix credo historiarum periti negabunt, quarum intuitu, propagatae huius superstitionis ratio eadem quae generis est; quae vero earum diuersae sunt originis, quin commercia cum reliquis exercuerint, nil credere prohibet; has illarum exemplo superstitionem hancce stabiliuisse, probabile efficit Iudaeorum historia, qui vicinarum gentium idololatriam commercio mediante saepius assumsere. Nec omnino dissentiunt auctores antiqui, quorum nullus superstitionem hanc eiusdem omnibus in populis antiquitatis fuisse unquam asseruit.

§. XI.

Quae etiamsi ita sint, melius tamen fortasse iunctorum Soli equorum causa, antiquorum, quibus veritates abstrusiores et dogmata religionis, ad res sensui magis obuias, et ex vsu quotidiano notiores, reducere solenne fuit, imaginationi ad-

scri-

ſcribitur; Hoc ſi rem modo concipimus, rotunditas corporis ſolaris, in ſenſus incurrens, rotae, et huic aſſociatam currus ideam genuit, motus autem Solis apparens, equorum, inſtrumenti quippe, quo tales machinae loco moueri ſolebant, ordinarii, repraeſentationem aſſociauit: Vnde currus Solis atque equi, non aliter conſiderandi ſunt ac ſymbola hieroglyphica, quibus ſuas de Sole opiniones antiqui expreſſerunt: Nec aliam maiorum noſtrorum hac de re fuiſſe opinionem, declarant, quae Edda z) ad nos tranſmiſit, equorum Solis nomina, quorum prior *Allſvidr*, ſiue *omniſapiens* vel *bene moratus*, adſtrictum certis legibus, et ſtatis in ſe temporibus redeuntem Solis curſum, poſterior *Arvakr* i. e. *matutinus* vel *alacer*, motum eius concitatum omnisque neſcium quietis innuit: Quamprimum igitur Sol, ob utilitatem et ſplendorem, quem Vniuerſo adfert, diuino coepit honore coli, equos etiam et currus, in ſolennem ſacrorum externorum vſum Veteres introduxere, vel tanquam ſymbola Soli deſignando aptiſſima, vel ad maiorem ritibus ſacris ornatum pompam et apparatum conciliandum, cuius eos ſtudioſiſſimos fuiſſe nemo ignorat: iuuat hancce opinionem, ipſa Aſtrologiae et Aſtronomiae, apud antiquiſſimos Chaldaeos, aliosque Orientis populos, hiſtoria, et, quae corpora coeleſtia ſpectat idololatriae, ex vtraque origo, quam Celeb. Thomae Hyde ver-

 bis,

z) Mytholog. 9.

bis *a*), ad rem praesentem paulum mutatis, hic subnectere liceat: *Cum corpora coelestia etiam nimis dissita essent, et aliquando quoque abessent sub terra, occumbentia et delitescentia, consultum duxerunt, certas his res tribuere, de eorum virtute participes, quae nunquam abessent, sed semper cum eis praesentes, vt eas perpetuo nocte dieque adire possent; cumque illorum temporum Astrologi, quasuis res alicui planetae appropriare solerent, eam inprimis rem elegere, quae tali planetae esset propria et peculiaris.* Et distinctius adhuc infra *b*): *Arabibus* (quibus Chaldaei et Scythae addi possunt) *et aliis pastoralem vitam agentibus et in agris degentibus, pronum erat inter pecudes et stellas collationem instituere, et inde rei pastorali accommodata nomina stellis* (corporibus coelestibus) *imponere, praesertim cum ab eorundem influentia censeretur pendere fertilitatis et foeturae omen; Hanc itaque pecuariam constellationem, et pecudum figuras, sub proprio planeta effictas, colebant,* (quidni eiusdem planetae sacris associabant) *quippe quae hominibus essent propiores.* Quae omnia, quem supra tetigi, repraesentatiuum et symbolicum cultum maxime confirmant, cum ipsa idololatriae coelestis origo alia haud facile rudiori antiquitati suggerere ratiocinia posset.

§. XII.

a) Hist. Relig. Persarum Cap. 5. p. 129.
b) loc. cit. p. 131.

§. XII.

Solem priſcos Boreales coluiſſe in confeſſo eſt: Eosdem Soli equos tribuiſſe adducta Eddae auctoritas probat: Vnde ſi quis Solem ſub Odini nomine cultum fuiſſe cum Reenhielmio c) ſtatuat, rationem, cur Mythographi noſtri Odino equos tribuerint, facile reddet. Aſt cum reliquos Odini ſocios, quos tamen nec ſub Solis nomine olim cultos fuiſſe, nec antiquum Solis cultum ſibi arrogaſſe ſcimus, ſuis etiam equis conſpicuos Ethnica Veterum Theologia producat, vereor ne hancce rationem, opinionibus, quae ſpeciei plus quam certitudinis habent, oculatiores Critici annumerent, niſi forte iis, non ipſorum, ſed Principis eorum Odini intuitu, equos Veteres tribuiſſe regeras; quod, cum aeque ſit probatu difficile, nodum magis ſecare, quam ſoluere eſt exiſtimandum.

§. XIII.

Haec vt euitemus dubia ſuadet, quae ſe planior multo equorum, ſacris in Septentrione vſibus adhibitorum, ratio offert: Inſignem equorum apud Tartaros et Scythas antiquos amorem; ſi quid, certe poſterorum exempla indicant; ex quibus Moxios Tartariae populos ſolenni et conſtituto quotannis die, equum poſt aliquot caerimonias corio exuiſſe, carneque in menſa abſumta, palea impleuiſſe, et mox erectae arae impoſitum, vt propitium numen adoraſſe Ionſto-

c) Not. in Olafs Sag. cap. 39. pag. 75.

nus *d*) obſeruauit; Tartarorum autem modernorum ſtudium in eo poſitum Schefferus *e*) notat, vt multos et praeſtantes habeant equos, quibus ad equitationem et ad victum vtantur. Scythas antiquos, equos Marti obtuliſſe ſupra (§. 2) probaui: Quae omnia ſuadent populos hoſce, tam ob vſum domeſticum quam militarem, magno olim equos in pretio habuiſſe, imo diuini participes feciſſe honoris. Iam vt circumiectas Balthico mari Germaniae Prouincias, ita Septentrionem noſtrum, ex Tartaria et Scythia, haud minimam incolarum partem accepiſſe, graues ſunt rationes, vnde ſacri equorum apud Germanos et Boreales vſus origo, a Tartarorum et Scytharum moribus, populo ſedes mutante propagatis commodiſſime deducitur. Alios vt taceam, famoſus ille Odinus, ex Scythia oriundus, antequam in Septentrionem perueniret, aliquot borealis Germaniae Prouincias, non peragraſſe tantum, ſed partem quoque eius haud exiguam in ſuam poteſtatem redegiſſe traditur; Hunc et ſocios, vel quod vſum equorum ſacrum a maioribus acceperint, vel quod rei militari, atque hinc equeſtri impenſe eſſent dediti, maximi equos feciſſe, quae de eis ſuperſunt, antiquorum narrationes docent; Vnde cum et ſocios, qua ingens illud equorum ſtudium et amorem, qua ſacrum eorum vſum, ſi non primum

d) de Quadruped. pag. 8.
e) Lapponiae pag. 52.

mium in borealem Germaniam nostrumque Septentrionem inuexisse, certe insigniter auxisse, et ad maiorem superstitiosae venerationis gradum prouexisse, non dubitauerit; qui res ab eis inprimis in Septentrione gestas perpenderit: Etenim primo validissimum equini amoris et cultus argumentum, suis praebuere exemplis, proprios equos impense aestimantes; et quo augustiorem sui rerumque suarum ideam rudiori populo imprimerent, de eorum origine et virtutibus varia tradentes, quae ridiculis posterorum de eis narrationibus, quas Edda adhuc, symbolicis obductas inuolucris, seruat, huc vero, ne prolixior fiam, non transcribendis, occasionem dedisse videntur. Deinde Odinus ipse, quo vehementius rei militaris et equestris studium Borealibus instillaret, quae ludis equestribus aliisque exercitiis militaribus maxime constaret, beatorum in altera vita felicitatem confinxit, atque hinc, vt arma, ita equos, cum mortuis vna sepeliendos instituit, quibus instructi optatas beatorum sedes expeditiores peterent *f*), et exercitia Valhallae quotidiana, promtiores magisque conspicui obirent *g*). Si iam Odinum, vt magnum Septentrionis non Monarcham tantum, sed et Deum consideremus, adaequatam maxime superstitiosae equorum venerationis rationem, eius qua exemplum qua instituta praebent, quorum

f) Barthol. Antiquit. Lib. II. cap. 8. pag. 409.
g) ibid. cap. 13. pag. 564.

cum Boreales semper essent tenacissimi, gratius Diis, facrisque adeo apud eos vsibus aptius cogitari animal non potuit, quam quod Dii ipsi, inter mortales degentes, tenerrimo affectu amaverant, cui pretium maximum statuerant, et cuius denique nobilissimus olim in eorum post fata contubernio futurus erat vsus.

§. XIV.

Hae rationes, cur vt Prussi, Franci, Alemanni, ita Dani, Noruegi *h*) et Sueci *i*) equos Diis immolarent: Hae rationes cur equi Diis consecrarentur, et a laboribus exemti, insigni religione seruarentur, qualis equi exemplum ministrat Hrafnkels Saga *k*): „Hrafnkell átti thann „grip í eigo sinni, er hanom thótti betri „enn annar, that var hestr bleikalottr at „lit, er hann Kalladi Freyfaxa; hann gaf „Frey vin sinom thenna hest hálfann; a „thessom hesti hafdi hann sva mikla elsko, „at hann strengdi thess heit, at hann skylldi „theim manni at bana verda, er theim hesti „ridi än hans vilia„ i. e. *Hrafnkillus in sua possessione, quod reliquis praeferret, animal habuit, equum nempe coloris ex pallido et fusco mixti, quem Freyfaxum vocauerat, et amico sibi Freyo dimidium dederat; Hunc equum tanto amore prosequebatur, vt se occisurum voueret,* *si*

h) Keysleri Antiqu. Sept. pag. 326. 327.
i) ibid. pag. 338.
k) cap. 2.

si quis se inuito illi inequitaret: Suffragatur Olai Tryggvini Noruegiae Regis vita *l*), equorum, quos Thrandi Freyo dicauerant, iniiciens mentionem: „thá sáó hans menn Stódhrofs „nockur vid veginn, er their sögdo at „Freyr ætti„ i. e. *Tum milites Regii iuxta viam equos viderant, quos Freyum possidere, eique dicatos esse dixerunt.* Hae denique rationes sunt, cur ipsi quoque equi diuinis sint honoribus mactati, adiuncto cultus diuini, aut si mavis obiecto secundario, quo propius imaginationi subsidium fulcrumque adesset, in obiecti primarii, vel paulo remotioris, vel sensus omnino fugientis locum, hic, vt saepius alias, substituto: Qua in re nota est mulieris Noruegicae stultitia, quae Olai Sancti vita testante, membrum genitale equinum, magna religione servatum, domestici et tutelaris Numinis habuit loco. Nec ignota Faxabrandi in equum suum propensio, de qua ita Vatnsdalensium historia: „Brandr átti hest fauxóttann, er kalladr „var Freysfaxi, hann var virkr at hestinom, „ok thotti godr, var hann ok mætr til allz, „bædi vigs oc annars, oc höfdo menn that „fyrir satt, at hann hefdi átrunat a Faxa„ i. e. *Brandus jubae discoloris equum possidebat, qui Freyfaxi vocabatur, hunc, quod tam in certaminibus equestribus, quam aliis negotiis, egregium ei praestaret vsum, studiose curauit,* et

l) ed. Isl. Lib. II. cap. 49. pag. 191.

et impense aestimauit, adeo vt omnes pro vero haberent, eum diuino equum honore colere. Quae si rite attendantur, immodicum equorum apud Septentrionales, adhuc Ethnicos, amorem, vt Religionis ethnicae effectum, apud eosdem vero, Christianis sacris imbutos, vt Ethnicismi, et superstitionis auitae reliquias, merito etiam agnoscimus.

§. XV.

Esus equinae carnis quod aliquam sibi, tam sacrarum quam oeconomicarum amoris equini caussarum vindicet partem, medio inter eas loco aptissime ponitur, atque hinc vt sacris subiungi, ita oeconomicarum agmen ducere merito debet. Quinam antiquior sit, sacer an domesticus siue vulgaris equinae carnis esus, nec clare adeo constat, nec nostra multum refert, vulgarem tamen ideo antiquiorem puto, quod omnis fere rerum sacer apud Veteres vsus, domesticum supponat. Sed iam ad rem ipsam: Hic primo loco obseruandum, inter aliorum animalium carnes, quae in comessationibus, siue conuiviis sacris, post peracta sacrificia, ad delubra idolorum, et in eorum veluti conspectu, ab vniverso populo celebrari solitis, comedebantur, equinas inprimis priscos Boreales adhibuisse. De Noruegis testimonium maxime luculentum praebet, tam epularum apud eos sacrarum descriptio,

post

post Sturlæum *m*), a Keyslero *n*) adornata, quam Thrandorum in Regem Hakonem carne equina, his in conuiuiis, vesci recusantem, irae, et ingens denique illa animorum contentio, qua eundem, sub Regni, imo vitae dispendio, ad esum carnis equinae a subditis coactum, praeter Olai Tryggvini vitam *o*), idem Sturlaeus *p*), et ex eo Keyslerus *q*) memoriae prodidere; Vnde praecipuam epularum sacrarum partem equinam carnem constituisse, nec illarum perfecte participem, plenoque sacri conuiuae nomine dignum, eos censuisse, qui hanc escam abnueret, facile videmus. Nec minus in epulis Sueonum sacris, equinae carni constitisse pretium, indicio est Sveno Sueciae Rex, Islandis *Blót-Sveinn* dictus, quem, mactato et ad esum distributo equo, plenam adeo sacrorum gentilium per se restaurandorum fidem Sueonibus fecisse, ex Hervarar Saga Keyslerus *r*) annotauit; vt alia haud postularent argumenta.

§. XVI.

Rationes cur oblatorum Diis equorum carnem, maiores nostri, post peracta sacrificia, etiam comederint, eaedem procul dubio sunt quae

m) in vita Haconis Adalst. cap. 16. ed. Suec. Tom. I. pag. 141.
n) Antiquit. Septentr. et Celtic. pag. 330.
o) Edit. Isl. Lib. I. cap. 22. pag. 21. 22.
p) loc. cit. cap. 18. pag. 145. cap. 19. pag. 146.
q) loc. cit. pag. 335. 336. 337.
r) ibid. pag. 338.

quae epularum sacrarum, quas apud plerosque orbis populos sacrificiorum appendices fuisse notissimum est; de harum autem ratione et origine, haud eadem forte omnium erit sententia. Apud Iudaeos, ex ipsius Dei instituto, certae oblatorum animantium partes, sacerdotum destinatae sustentationi, ab iis in locis sacris, in conspectu, vt ita dicam, Dei comedebantur. *Ad horum exemplum et imitationem, gentiles sacras suas epulas instituisse* Stuckius putat *s*); quod etsi de Ethnicis, qui, vel commerciorum familiaritate, vel terrarum propinquitate Iudaeis magis coniuncti erant, concedi fortasse posset, attamen vt idem de omnibus reliquis gentibus credamus multa prohibent. Cum enim epulae sacrificales, siue solennis oblatorum Diis animantium esus, res sit, omnium fere antiqui orbis Ethnicorum, ab vltimis retro temporibus recepta consuetudine, haud vero est simile, Iudaicae gentis, caeterarum respectu paruae, et sacrorum in ea institutorum, notitiam, ad remotas adeo orbis partes tam cito esse propagatam, et adhuc absonum magis, Ethnicos, rerum splendore florentissimos, abiectae et contemtae Iudaeorum gentis mores, si vel maxime cognouissent, in rebus tanti momenti, quanti sacra fuisse est exploratissimum, in exemplum sibi proponere atque imitari voluisse. Praeterea si ritus hosce, ad antiquos Europae, Asiae atque Africae populos,

s) Antiquit. Conuiv. Lib. I. cap. 33. pag. 190.

populos, terrestri commercio propagari potuisse, pertinaces vrgeant, perpendendum est, non his solum, sed Americae quoque incolis epulas sacrificales in vsu fuisse *t*), quos tamen Iudaeorum nomen, nedum ritus fando olim audiisse, quae solide probent non video.

§. XVII.

Huic igitur rationi, nimis quippe speciali, aliae magis generales merito videntur substituendae; quo respectu mihi inprimis probantur haecce Athenaei apud eundem Stuckium *u*) verba: *Antiqui, cum Deos humana specie atque forma praeditos esse statuerent, his ea quae in festis sunt accommodarunt:* Erant scilicet veteres Ethnici, ob intellectus humani imbecillitatem, in rerum diuinarum doctrina, ad ideas materiales et anthropomorphismum pronissimi, tales fingentes Deos, qui praeter alias actiones satis ridiculas, imo sceleftas plane, crebra, tam se cum inuicem, quam cum hominibus celebrarent conuiuia, qualibus opinionum portentis, an obscura Angelicorum, apud patriarchas primaeuos, hospitiorum notitia, posterorum traditione deprauata, facem etiam praetulerit, iam non disquiram. Nil igitur mirum, Veteres,

con-

t) Anton. de Solis Noua Hisp. occup. Lib. III. cap. 3. Vers. Dan. Tom. I. p. 332. Allgemeine Geschichte von America I Th. pag. 88 seq. II Th. pag. 49. 50.

u) loc. cit. pag. 198.

conuiuia sacrificiis attexuisse, et animalium Diis oblatorum, iam sanguinem, iam carnes, in loco sacro comedisse, *eo quod*, vt de Zabiis, apud Spencerum *x*), Maimonides loquitur, *existimarent; cibum hunc esse Daemonum, et quod is, qui eum comedit, hac ratione communicationem aliquam cum Daemonibus acquirat;* hoc, praeterea rati, *medio amicitiam, fraternitatem et familiaritatem inter ipsos contrahi; quia omnes in vna mensa edunt, et vno consessu accumbunt;* Sic quippe simillimos se, atque adeo gratissimos Diis cultores futuros putantes, si solennes sacrorum ritus, ipsas Deorum actiones, ipsum, vt ita loqui liceat vitae genus, referrent. *Erant* itaque (Stuckii de epularum apud Iudaeos sacrarum caussis verba *y*), paulum mutata transscribo) *epulae haecce sacrificales ad mutuam Deorum hominumque communionem designandam perquam accommodatae, - nam cum aliqua semper necessitudo fit inter communi mensa utentes; Ethnici, ad Deorum cum populo familiaritatem consuetudinemque arctissimam testificandam, oblata Diis cibaria comederunt, vt ostenderent, se quasi communem cum Diis suis habere mensam, eosque suos conuiuas perpetuos esse, atque ita familiariter secum habitare; vicissim etiam eos sibi bene velle facere, a quibus adeo amanter ad-* com-

x) De leg. Hebr. ed. Tub. 1732. Tom. I. Lib. II. Cap. 15. Sect. I. pag. 377.

y) loc. cit. pag. 186.

communem mensam inuitarentur: quae ad sacras Ethnicorum epulas eo certior transfero, cum ipsum gentium Apostolum Paulum, idem κοινωνίας, siue *communionis* vocabulum, de sacris Ethnicorum conuiuiis, quod de sacrae Coenae participibus adhibentem, similes omnino rationes respexisse, sat superque Spencerus z) probauerit.

§. XVIII.

Idem de priscis Septentrionalibus dicendum: Etenim hi quoque beatam Deorum vitam humano viuendi generi accommodarunt, crebras Deorum epulas somniantes, inter quas famosissimum illud Odini et Diuorum iuxta ac Dearum omnium, apud Aegerum conuiuium, in Oda Eddae Sæmundi Lokasenna descriptum, facile primas tenet. Horum nonnulli (vt de Thoro, Gudbrandi Dalensis Numine familiari Sturlaeus a) memoriae prodidit) quotidiana Deastris suis cibaria apposuerunt; „fiórar leifar „brauds ero hanom færdar hvern dag, „oc thár vid Slátr„ i. e. *Quatuor panis placentae, cum opsoniis carnium ei quotidie apponuntur:* quae ab iis consumi, iisque pro victu esse credita monstrant, quae sequuntur Olai Regis ad populum verba b): „Enn nu megit ther „siá,

z) Differt. in Act. XV. v. 20, inprimis Cap. 3. Sect. I. Lib. cit. Tom. I. pag. 602.

a) in Vita Olai Sancti ed. Su. c. 118. Tom. I. p. 566.

b) loc. cit. cap. 119. pag. 569.

„fiá, hvat gud ydar mátti, er ther bárut „a gull oc Silfr mat oc viftir, oc fáot ther „nu, hverjar vættir thefs haufdo neitt, mys „oc ormar ethlar oc pöddor„ i. e. *Nec vos amplius latere potest, quam exigua sit idoli illius vis, cui tantas opes ex auro et argento impendistis, et dapes apposuistis, nunc enim videtis quae his monstra sint pasta, mures nimirum, vermes atque lacertae.* Quae cum ita fint, conviuia apud maiores noftros facra, communionis et interioris cum Diis familiaritatis, qua indicia fuiffe qua media quis quaefo dubitet? Hi denique talem beatarum poft mortem animarum, qui conuictu Deorum in epulis et conniviis inprimis pofito, conftaret, credebant ftatum, cuius fi typum et fchema repraefentativum, facras hafce Ethnicorum epulas fuiffe dixeris, non diffentio.

§. XIX.

Sunt qui cum his, quae a dogmatibus Religionis Ethnicae ducuntur, rationibus, *politicas* coniungunt, epulas hafce facrificales, ideo inftitutas putantes, vt hoc facri conuictus vinculo, tranquillitas publica firmaretur; quo fenfu Stuckius c), epulas, quae apud Iudaeos in Veteri Teftamento facrificiorum fuerunt appendices, vt ad Dei cum hominibus, ita, ad *hominum inter ipsos communitatem partim tuendam, partim testificandam*, fpectaffe, nec

c) l. c. cap. 3. p. 10.

nec aliud sibi voluisse arbitratur, *nisi vt mutua inter ipsos (homines) pax, concordia atque amicitia tanto facilius conseruari posset.* Ast et haec cum veterum Borealium institutis amice satis conspirant, apud quos mutuis alternisque amicos conuiuiis excipi, mos erat, taliaque conuiuia, qua societatis, qua amicitiae, vincula putabantur et indicia, vnde *Vina-bod* i. e. amica conuiuia, communi sermone vocabantur, quibus denique, vel illas societatum et foederum species, quas sanctissime seruandas heroica postulauit religio, *Heitstrengingar* vocatas, inter conuiuandum inire solenne fuit. Ad quae si conuiuia et compotationes dissidiis spargendis, quam concordiae firmandae aptiores fuisse obiicias: respondeo: Si de facto quaestio est, multis equidem ebriorum, apud Septentrionales, conuiuarum dicteria, originem dedisse fateor inimicitiis: Ast contra aeque exploratum, rebus per se maxime innocuis, imo optimis, humanam saepius abuti intemperantiam, quarum tamen verum vsum ideo cessare, nemo sanus dixerit: Quin non dubito affirmare, conuiuia, ex Antiquorum institutis, concordiae firmandae et conseruandae, multo magis fuisse accommodata, quam aliud quodlibet domesticae consuetudinis contubernium; priuatorum enim conuiuiorum sanctitatem muniuit pax illa domestica, *Husfridr* antiquis dicta, qua duplum cuilibet patrifamilias, domi suae, ius,

duplo maior securitas afferebatur et immunitas *d*.); Vnde qui hanc sine iusta causa turbavit, ipso sese facto pacis publicae fecit exsortem, et communi reliquorum conuiuarum vindictae obnoxium, quae mala perturbatori certo subeunda, pacis seruandae satis sufficientes omnibus merito videri debuere causae. Quae solennia fuere conuiuia et sacra, magis adhuc extra omne turbarum et tumultuum periculum posuit pax illa sacra; *Ve* Antiquis dicta, quae omni iniuriae et laesioni capitalem poenam indixit, et coniuncto foedissimae infamiae nomine *Vargr i veom* (quasi inter sacra lupum dixeris) ab omni honestorum societate et commercio, ipso facto, violantem excludebat. Iam notissimum est, priscos Septentrionales honoris, existimationis et bonae famae fuisse studiosissimos, religionis autem amantissimos, contra infamiae et Atheismi crimina, summo odio fuisse prosecutos, vnde cordatiorum vllum eo stultitiae procedere voluisse, vt tanto se dedecori, temere submitteret, praesumi facile non potuit.

§. XX.

Caeterum etiamsi haecce epularum sacrificalium causae, ipsi naturae et gentium institutis haud male conueniant, propiorem tamen ex ipsa

d) Jonsbok Tit. Mannhelgi cap. 19. pag. 94. 95. ed. Hol. 1707.

ipsa sacrificiorum historia, harum peti rationem posse arbitror; sequenti fere modo: Antequam animalium carnes ad victum quotidianum et sacrificia, communis adhibuit assumsitque consuetudo, maximam sacrificiorum partem, herbis, frumento, aliisque terrae fructibus, quae et praecipua tunc temporis cibi vulgaris fuit pars, constitisse, praeter alia testimonia, et ipsam naturae simplicitatem, seruatae quibusdam Americae incolis panis potuumque oblationes docent *e*); Hinc cum omnium seculorum Ethnici, easdem res, a prima inde sacrificiorum origine, sacrificiis, quas victui quotidiano, materiam praebuisse cognoscerent, auitae consuetudinis imitatio nil suggerere prius facile potuit, quam vt, quae Numini obtulere, comederent, quemadmodum maiores eorum, quae domi quotidie comedere solebant, Numini obtulerant. Postquam vero animalium in sacrificiis vsus inualuit, res hic magis est expedita; nam integrum animal vel comburere vel Diis offerre moris tunc non fuit; iam, quod de sacrificio reliquum erat, feris deuorandum palam proiici, religionis vetuit honor; in terra autem defodi, ipsi naturae et vsui rerum repugnauit; vnde nullus his sacrificiorum reliquiis rite vtendi modus superfuit, quam vt eas comederent, idque in loco sacro, cum illae ipsae iam pridem sacro vsui essent destinatae.

e) Allgemeine Geschichte von America Tom. I. pag. 161. 163. 165. 340.

SECTIO IV.

RATIONES EQVINI AMORIS OECONOMICAE.

§. XXI.

Inter rationes equini amoris Oeconomicas, esus equinae carnis vulgaris vel domesticus haud immerito agmen ducit: Nam inter illas, quibus antiqui Septentrionis incolæ, inprimis Islandi olim sustentabantur, alimentorum species, caro equina, non tantum si quantitatis habeatur ratio, praecipuam sibi vindicauit partem, sed et, si ciborum qualitas spectetur, gratissimis apud eos mensarum deliciis quondam fuit annumerata; vnde necessario consequitur, insigne equis apud eos pretium statui debuisse, quomodo res, quae maximae regionis cuiusuis parti victum praebent, magni semper ab incolis habendas physica postulat necessitas. De hoc autem equinae carnis esu agenti, praeter exempla supra (§. 13) adducta, occurrunt Tartarorum modernorum, ex lacte equino potum, qui valde pinguefacit, parantium, et quorundam Scythiae minoris incolarum, quibus praeter carnem equinam, facti ex lacte equino casei, quotidiani alimenti loco fuere, exempla, Gesnero *f*) notata, quibus Ionstonus

f) Histor. Animal. Vers. Germ. Foreri p. 137. b.

nus g) Sarmatas iungit et Germanos, apud quos, tempore Pauli Tertii Romanorum Pontificis, esum carnis equinae abrogatum, addit; certo et euidenti argumento carnis equinae esum Scythis antiquis fuisse vsitatum, et eorum posteros Tartaros Scythasque modernos; hunc a maioribus suis, antiquissimis nempe Scythis accepisse, qui et hancce consuetudinem, non in Germaniam tantum introduxerunt, sed ad populos quoque Septentrionales propagarunt, apud quos esum carnis equinae domesticum, vniuersalem quondam factum esse, quae alii iamdudum obseruanere, antiquorum auctorum testimonia, hic non repetenda, satis probant: Vnde, post Brynjolfum h), iure miratur Keyslerus i), cur Saxo k) milites, *per summam necessitatis indigentiam equos commanducasse* scribat; nisi forte significare voluerit, nullos, si equos, quibus ad vsum belli tum carere non poterant, militares, exceperis, exercitui alendo superfuisse cibos, non vero equinam carnem extra vsum mensae olim fuisse. Huncce carnis equinae esum, cum incolis ipsis, ex Noruegia in Islandiam esse translatum, plurima demonstrant omnis aeui exempla veterumque auctorum testimonia,

g) de Quadruped. p. 17. 18.

h) Not. in Saxonem pag. 52.

i) Antiquit. Septentr. p. 332.

k) Lib. I. in Haddingo ed. Soran. pag. 15.

nia, et in his Vigaſkuto Saga *l*), Thorbergum Myvatnenſem oues, boues atque equas, ad feſtivitatem Iolenſem mactandas, certum in locum agi curaſſe, vnamque ex his equam, quam furto ablatam fingebat, a vicino ad eſum mactatam, aliis ilico perſuadere voluiſſe, tradens: Hinc etiam eſt, quod Hromundi Claudi filii, equos patri furto ablatos, quod nuſquam deprehendi poſſent, a furibus, ad eſum, vt communis populi conſuetudo ferebat, mactatos, ſtatim ſuſpicarentur, quod et euentus dedit teſtatum *m*): Hro-„mundi hvorfo Stodroſs ſim ſaman, - varo „um that margar getur, hvat af Roſſunum „mundi vordit: Synir Hromundar kvo-„duſt ætla, at menn mundo etit hafa" i.e. *Quem Hromundus amiſerat, quinque equorum grex, quo delatus eſſet, varii varie coniiciebant; Hromundi autem filii ab hominibus ad eſum mactatos eſſe augurabantur n):* Hinc Arnorus Kerlingarnef, vrgente annonae charitate, ne ex Principum ſanctione, pauperes et decrepiti, omni auxilio deſtituti, fame perirent, conuentu indicto, ſanciuit, vt ad ſuſtentationem populi equi mactarentur, donec ſingulis colonis duo tantum ſupereſſent *o*): „Scu-„lom ver thar til leggia allann varn koſt, „at

l) cap. 18.
m) Olafs Saga ed. Isl. Lib. II. c. 54. p. 203.
n) conf. Lib. Origg. Isl. Lib. II. cap. 33. p. 82.
o) Olafs Saga Lib. II. cap. 64. pag. 234.

„at veita mönnom lífsbiörg, ok drepa „til fædzlo varom frændom, fararskióta „vara, helldr enn láta thá fara af fullti, „fva at engi bondi fcal eptir hafa meira „enn tvau Rofs„ i. e. *Quae nobis funt, facultatibus, quin egenis alimenta fuppetant, haud parcamus, fed ad cognatorum et amicorum fuftentationem, ne fame penitus intereant, equos noftros operarios mactemus, donec duo tantum equorum capita cuilibet colono fint reliqua:* Neque hic exceptioni locus; hoc in cafu neceffitatis factum, communem incolarum confuetudinem non probare; cum annonae caritati non fimpliciter imputandum fit, quod equos mactare Arnorus iuberet, fed partim quod, feruatam hominum vitam commodis oeconomicis praeferendam ratus, tot mactandos praeciperet, vt fuperftites laboribus rufticis haud fufficerent, partim quod ne operarios quidem equos ab hoc praecepto eximeret, quorum efus Antiquis alias non admodum probabatur, quos, quo gratiores palato carnes effent, equis ad efum mactandis, laborum immunitatem praeftitiffe, et optima pafcua faginandis affignaffe, de Thorbiorno Craffo loquens Eyrbyggia Saga confirmat: „Thorarinn átti „vígheft godann á fialli; ThorbiörnDigri „átti ok Stódrofs mörg faman, er hann „let ftanda í fiallhögom, ok valldi hann „rofs um hauft til Slátrs„ i.e. *Thorarinus*

 prae-

praestantem equum Hippomachum in montanis habuit; Thorbiornus Crassus numerosum etiam possedit equorum gregem, in pascuis montanis saginari solitum, a laboribus vero omnino liberum, ex quo equos quouis autumnio ad esum mactandos delegit. Nec vt nuda tantum consuetudo, equinae carnis esus apud gentiles Islandos subsistit, sed eum, iuris etiam antiqui auctoritate approbatum innuit Aro Polyhistor *p*), quo quae spectant verba, Olai Tryggvini Vitae Auctori *q*) notata, a Keyslero autem *r*) allata, hic non repeto; Quod vero principem apud Islandos alimentorum partem constituerit equina caro, inde patet, quod Ethnicos, interdicto eius esu, alimenta incolis haud suffectura obiicientes, huiusce consuetudinis, post Christiana sacra recepta, tolerantiam impetrasse memorata Olai Tryggvini Vita *s*) tradat: „Thviat their „menn, sem mest hafa gengit mot christni „bodino, koma varla Skilningi á, at that „megi samansara, at fæda upp börn, thau „er alinn ero, sva fátækra sem rikra, enn „banna at afneyta til mannfædo theim „lutom, sem ádr varo althydunni hinn „mesti styrkr; thvi sculom vær hafa vart

„mál

p) Lib. de Islandia cap. 9. ed. Isl. p. 9.

q) Edit. Isl. Lib. II. pag. 244.

r) loc. cit. p. 333.

s) loc. cit. pag. 244.

„mál um that, at hin forno lög fcal hafa „úm barna utburd ok hroffakiótsát" i. e. *Quoniam maximi Religionis Chriſtianae hoſtes concipere nequeant, quomodo id conſiſtere queat, vt omnes, qui naſcuntur, pauperum aeque ac diuitum liberi alantur; eorum autem, quibus incolae antea maxime ſuſtentabantur, eſus interdicatur, vt ex noſtra ſententia, infantum expoſitio, et equinae carnis eſus, lege antiqua, ſubſiſtat oportet.* Quae licet recenti adhuc Chriſtiana religione, Islandis eſſent permiſſa, eorum tamen cordatiores ab eſu equinae carnis iam tum abhorruiſſe, praeter conſtans apud omnes reliquos Hiſtoriae Islandicae ſcriptores, de carnis equinae eſu poſt haec tempora ſilentium, monſtrat Skarphedini dicterium *t*), qui Thorkillo Hakio, quod inteſtina equina, opilione vidente comediſſet, atrociſſimi et maxime infamis flagitii inſtar obiecit; haud ſecus ac deprehendimus, omnes in genere Chriſtianos antiquos, equinae carnis eſum, pro re, ſacris et nomine Chriſtiano maxime indigna, habuiſſe; Sic enim Otto Germanorum Imperator, vallum Danavirke oppugnans, non alia re magis Chriſtiana ſacra, a baptiſatis violari, quam ſi equos comedant, dixiſſe fertur *u*): „That er meſta chriſtniſpell ſkyrdom „mön-

t) Niàls Saga cap. 113.
u) Olafs Saga ed. Isl. Lib. I. cap. 85. p. 87.

„mönnom at eta rofs.„ Sic et Olaus Tryggvinus, quae apud Keyslerum x) legi possunt verbis, in praelio Suoldrensi, equinae carnis esum, per contemtum Suecis exprobravit y): Nec diffitetur Reenhielmius z), equinae carnis esum Suecis tunc temporis fuisse in vsu, sed tantum Regem vituperat, et iniuriae Suecis illatae reum agere tentat, quod eis vitio verteret, quae longe post eius tempora in Islandia imo ipsa Noruegia adhuc subsistebant instituta: Ast etiamsi, ipsa praeuente Olai Sancti Vita, non eius tantum tempore, sed et post eius mortem, vnum aut alterum, qui equinam carnem comedit, inter Noruegos inuentum esse, et eandem consuetudinem publicis adhuc Islandorum legibus fuisse permissam, concedam, iure tamen Rex eam Suecis obuertit: Nam primo: Aulicis suis Rex hic Suecos opponit, quibus, vtpote Regi, rituum Ethnicorum maximo hosti, semper praesentibus, equinae carnis esum ne ipse quidem tribueret Reenhielmius: Secundo: Si qui Noruegorum, eius tempore, equinam carnem comedêre, nec id conniuente, nec conscio, nec probante Rege factum, sed clam, sed furtim, sed ita, vt Regi, quam primum de hisce certior fieri potuit, grauissimas darent poenas: Tertio: Quod post eius tempora, nonnulla

x) loc. cit. pag. 334.
y) Olafs Saga ed. Isl. Lib. II. c. 87. ed. Suec. c. 66.
z) Not. in Olafs Sagam pag. 92.

nulla huius consuetudinis apud Noruegos occurrant exempla, non id negligentiae Olai Regis, sed collapsae iterum, Successorum eius, Erici et Sveini Comitum, indulgentia, Christianae Religioni a), tribuendum est atque imputandum. Nec denique Reephielmium iuuat, cui tunc temporis cum Noruegis res erat, Suecorum Regem, Olaum Skotkonnung, Christianis Sacris fuisse initiatum, et inprimis operam dedisse, vt subditos ad fidem Christianam converteret; Nam Sueci, superstitionis auitae tenaces, ita cum eo fuint pacti, vt quae ei optima videbatur, Sueciae prouinciam suo iure teneret, ibique Ecclesiam constitueret, reliquis autem subditis liberum Religionis ethnicae exercitium permitteret; vid. Loccen. Hist. Suec. Lib. II. pag. 54. cui simile in Noruegia exemplum cum Olai Tryggvini tempora ignorent, satis causae habuit, cur Suecos, ob hanc superstitionis Ethnicae κακοζηλίαν, vituperaret. Quod autem apud Islandos consuetudo haecce nondum esset abrogata, cui nullum tunc temporis in Islandos ius erat, Noruegiae Regi, vitio verti non debet, qui amicis quidem consiliis Islandos ad religionem Christianam suscipiendam adducere, verum ne minimum quidem invitis imperare vel extorquere valens, haec apud eos

a) Vide Snorr. Sturl. Chron. Norueg. in Vita Olai Sancti c. 58. ed. Suec. Tom. I. p. 440.

eos permitti scire nolens cogebatur: Contra Sueci longe post illa tempora, publico ordinum consensu, vt Religionem ethnicam, ita carnis equinae esum probarunt *b*): Igitur quae apud Suecos palam et de iure fiebant, apud suos autem sub capitis poena prohibuerat, iure illis vitio vertit. Sub finem moneo, equinae carnis esum, Olai Sancti Noruegiae Regis suasu ex legibus Islandorum penitus esse sublatum *c*).

§. XXII.

De equorum in alimentis populo praestandis vsu hactenus egi: Ast et reliqua Oeconomiae et vitae apud Islandos domesticae ratio, noua equini amoris argumenta suggerit: Ora tantum Islandiae maritima Oceano patet; navigiorum autem vsus ad quasdam tantum eius partes est adstrictus: res vero victui et vsibus domesticis inseruituras, ad loca longius dissita transuehere saepius est necesse, quae, deficiente nauium, quae tantis oneribus ferendis aptae, maiorum copia, cum maritimo aduehi nequeant, terrestri itinere, solo equorum beneficio apportantur. Adhaec omnia alia Islandorum itinera equis fiunt: Islandiam, terram quippe montosam, fluuii plu-

rimi

b) Vide Hervarar Sagam apud Keyslerum loc. cit. p. 338. et Verelii in eam notas p. 55.

c) Snorro Sturlaeus in Vita Olai Sancti edit. Suec. Tom. I. p. 436. 440. 601. Torfaei Histor. Norueg. Tom. III. pag. 63. 122.

rimi diuiduut, quorum nullus, si vnum aut alterum exceperis, ponte iungitur, paucissimi autem nauigia et portitorum vsum admittunt; hos transiturum equitem, equo, saepius vel natanti, salutem committere oportet, qui si officium non faciat, de vita esse periclitandum, deploranda multorum, qui tam sua, quam inepti equi culpa, aquis hisce mersi, misere periere, docent exempla. Vnde non mirum Islandos, animalis huius maxime necessarii, quippe sine quo nec negotia sua peragere, nec commercia cum dissitis exercere, nec commeatus vitae tolerandae suffecturos apportare possent, maximam semper curam tenuisse et amorem. Nec hic consona historicorum antiquorum testimonia desunt: Has enim rationes respexisse traditur Ottkillus, duos equos sui inuicem ita amantes, vt vnus altero carere non posset, quod equitando essent aptissimi, valde amans *d*): Has Grimus, Sodulkollam equam ob currendi celeritatem magni faciens *e*): Has Gullthorerus, equum suum studiose curans *f*): Hauknefr hafdi gefit Thori „hest kinnskióttann, hann var Gautskr „hlaupari, ok var alinn á korni vetr ok Su„mar, thessum reid Thorir yfir Thorskafiörd „hvert ed var flod edr fiara, oc var hann „gersimi

d) Niàls Saga cap. 46.
e) Grettis Saga cap. 49.
f) Gullthoris Saga cap. 10.

„gerſimi mikil" i. e. *Háuknefus equum, genas varium Thorero dederat, erat is curſor Gothicus, quauis autem hyeme et aeſtate frumento alebatur; hoc Thorerus vectus ſiue affluxus maris ſiue refluxus eſſet, ſinum Thorſkafiördenſem permeauit, atque eum ideo rei pretioſae habuit loco.* Hanc et laudem certa equorum Islandicorum ſpecies in hodiernum vſque diem ſeruat, vt eis vectus, ſi propria eos incuria non turbet, vel profundiſſimo ſe flumini ſecurus ſatis queat committere, vnde *Vatnaheſtar*, quaſi equos aquaticos dixeris, vocantur, variis ſignis externis, (et in his certa, quam ſub alis, vel in pectore, pili formant, figura, *Vatnáſvipr*, i. e. naturae aquis aptae indicio, dicta,) quorum plurima incerta, imo vana plane et falſa ſunt, a reliquis equorum ſpeciebus ruſticis noſtris dignoſci ſoliti.

§. XXIII.

Tanta equorum vtilitas in cauſa fuit, cur quidam olim, multis equis alendis, ob rei familiaris anguſtiam impares, paucos tantum, ſed optimae notae haberent, ex pullis quaeſtum facientes: Talium exemplum praebet Thorſteni Stangarhoggii Vita: „Their átto oc „Stódroſs ſedgar, oc var that theim hellz „til fiár, er their ſelldo undan heſtana, „thviat engir brugduz at reid ne hug„ i. e. *Thorſteno et patri id inprimis fuit lucro, ut equorum, quos poſſidebant emiſſariorum pullos vende-*

venderent; qui et ad equitationem, et ad pugnas equestres, aptissimi sunt reperti. Qualis igitur vtilitas equorum, quaestus ex iis facti, talis et quaestus ipse, amoris equorum et pretii, inprimis apud homines huic deditos, et inde victum quaerentes, censeri debet causa.



SECTIO V.

RATIONES EQVINI AMORIS AD EXERCITIA CORPORIS ET REM MILITAREM SPECTANTES.

§. XXIV.

De rationibus equini amoris a militia ductis, dicturo, immensum, quo in rem militarem, maiores nostri ferebantur, studium succurrit; Vnde facile coniici potest, quicquid generosum prae se animum ferret, quicquid militiae esset vtile, magni ab iis ideo fieri debuisse. Intrepidum equorum animum, sacra, non vno loco laudat Scriptura, laudant et historici, exemplorum, vbi se equi strenue defenderunt, et vbi praelia, equitatus beneficio, atque hinc equorum auxilio, confecta sunt, feraces. Equitatus in bellis gerendis robur, vtilitas et necessitas omnibus nota, me praecone non eget. Equorum autem qui ipsi se strenue defenderunt specimen hoc loco praebeat equus Eyd-

 faxi,

faxi, qui antequam occidi posset, septem vna die viros in Noruegia interfecit *g*); nec non Viglundi equus, Einari et Iokulli, quo eum magis impune occidere possent, quem sequebatur equarum gregem, in deuia agere tentantium, impetui strenue se opponens *h*); Hreggvidi Russiae Regis equus, qui in praelio triginta viros occidisse fertur *i*): fabulose quidem; vero tamen manente, quod nemo temere negare ausit, equos, et animalia esse militiae apta, et haud vltimum militiae robur equis contineri. Populo igitur rei militaris studiosissimo, equestrem, quae eius pars, colere necesse fuit, quae ratio est, cur rei equestris peritia, exercitiis corporis et artibus, militari et generoso viro dignis et necessariis, quas ob speranda inde, qua roboris, qua agilitatis augmenta *Ithróttir* Antiqui vocant, olim sit annumerata; teste, quod supra (§. 4) attuli, Alrici et Erici Sueciae Regum exemplo, qui vt reliquarum artium erant peritissimi, ita summo allaborarunt studio, vt equorum, qua *gressui*, qua *cursui* assuefaciendorum peritia omnes alios antecellerent; nec non Oda antiqua Rigsthula, varia, quibus se *Kundur* et *Konur* iuuenes assuefecere, exercitiorum genera ita recensente:

„Kundr het einn,
„Konr var hinn yngzti

„Upp

g) Lib. Orig. Isl. Lib. III. cap. 8. pag. 100.
h) Viglundar Saga cap. 9.
i) Gaungo Hrolfs Saga.

„Upp oxu thar
„Jarli bornir
„Hesta tomdo
„Hlifar bendo
„Skeyti skofo
„Skelfdo aska.

i. e.

Kundus vnus vocabatur,
Konus natu minimus erat
Ibi adolescebant
Comite fati,
Equos domarunt,
Loricas et clypeos apte tractarunt
Tela laeuigarunt
Ligna quassarunt i. e. tremula reddidere vt arcubus parandis essent apta:

quibus calculos addunt, Haraldus Imperiosus Noruegiae Rex, quas viro Principe dignas callebat, artibus, rei equestris peritiam accensens *k*):

„Fær er ek hvast á hesti.„

i. e.

Equo incitato vti calleo.

Et tandem prolixa illa exercitationum equestrium, consilia, et adhortationes, iuuentuti, rei militaris studiosae, a Speculi Regalis auctore commendatae. Iam exercitia corporis necessarium viris magnis olim reputabantur ornamentum, vnde facile apparet, equis etiam, quatenus horum media fuere, magnum apud eos statui pretium debuisse.

K 2 §. XXV.

k) Apud Bartholin. Antiqu. Dan. pag. 156.

§. XXV.

Quo autem hanc rei equeſtris peritiam, facilius iuuentus hauriret, maiores noſtri, a Platonis, qui adoleſcentes non tantum exercitiis corporis imbuendos conſulit *l*); ſed et ob equeſtria certamina maximam equorum curam habendam innuit *m*), inſtitutis non diuerſi, certamina ſiue ludos equeſtres inſtituere, ex quibus, cum qua lucrum, qua gloria ad victorem redundaret, dedecus contra victum maneret, ipſa vero victoria, propriis equorum, quibus certabatur, dotibus, maxima ex parte deberetur; aeque praegnans, equorum optimae notae ſtudioſe alendorum et magni faciendorum, quae honoris et exiſtimationis conſeruandae, neceſſitas, manifeſte ſuggeritur. Horum certaminum prima ſunt, in quibus equorum curſu contendebatur: Inter alia Circi maximi ſpectacula, equorum etiam curſu a Romanis certatum ſcribit Onuphrius Panuinius *n*): Graecos in *Pythiis*, quadrigis contendiſſe, auctor eſt, apud Pfeifferum *o*), Ouidius; poſt varias horum ludorum mutationes, equorum curſum additum, in Phocicis Pauſanias *p*) memoriae prodidit; in *Iſthmiis* vero curſu et quadrigis certatum Pfeifferus ipſe

l) De legibus Lib. 7. Opp. Tom. II. pag. 804.
m) loc. cit. pag. 834.
n) De Ludis Circenſ. Lib. I. cap. 9. Theſaur. Graev. Tom. IX. pag. 83.
o) Antiquit. Graec. Lib. I. pag. 132.
p) apud eundem loc. cit. pag. 134.

ipse monuit *q*): Imo in omnibus apud Graecos antiquos Circensibus ludis, equorum cursus adhibitus, nec ipsi tantum domini, quorum equi celeritate praestiterant *r*), et foeminae Olympionicae, quae equos pernicitate superantes contulerant, coronis et praemiis ornatae *s*), sed et ipsis equorum, qui cursu vicere, agitatoribus, dominorum loco, praemia sunt distributa *t*). Inprimis tamen, quem ad Circi Romani exemplum, Imperatores Graeci exstruxere, Circus Constantinopolitanus, ab equorum cursu *Hippodromi* nomen, vnde nostri *Padreimr* formavere, sortitus, hic notari debet, cum Islandici etiam scriptores, eius mentionem iniecerint, et in his, Erici Boni, Daniae Regis, iter Hierosolymitanum describens Canutidarum Historia *u*):
„That er sagt at Alexis Girkia Konongr
„baud Eriki Konongi, hvart hann villdi
„thiggia af hanom halfa lest gullz, eda leti
„hann leika fyrir honom leika thann, er
„Girkir Kalla Padreimsleik, oc Konongr
„er vanr at láta leika a Padreimi, í theim
„stad er sva heitir: oc sögdu allir at eigi
„Kostadi Konunginn minna leikinn, enn

 „thetta

q) loc. cit. cap. 52. pag. 141.

r) Petri Fabri Agonisticon Lib. I. cap. 26. Thesaur. Gronouian. Tom. VIII. pag. 1897. 1898.

s) loc. cit. pag. 1899.

t) loc. cit. cap. 3. pag. 1800. 1801. cap. 18. pag. 1866. 1867.

u) edit. Hafn. cap. 81. pag. 168.

„thetta gull„ i. e. *Fertur Alexis Graecorum Imperator, Erico optionem dedisse, vtrum dimidiam auri lastam *) in honorarium, an ludorum equestrium spectacula, Graecis Hippodromia dicta, sibi mallet exhiberi; quae spectacula in Circo, Hippodromo nominato, edere Rex Graecorum, non minoribus impensis consueuerat, quam quae summam auri, Erico oblatam, exaequarent:* Placet Sturlaeum x) addere, qui, de ludis in gratiam Sigurdi Hierofolymipetae Noruegiae Regis, ab Alexio Graecorum Imperatore celebratis, agens, talem Circi Constantinopolitani ideam exhibet, vnde, quis, tam ipsius, quam editorum in eo spectaculorum, Alexio imperante fuerit status, haud obscure liceat concludere, quique, quae, de horum ludorum natura et indole, vastae aliorum descriptiones a Panuinio y) collectae, notatu maxime digna continent, paucis ita complectitur: „Drottning á halfann leikinn, ok keppast í öllom leikum menn theirra, oc segia Gricker, thá er Keysari vinnr fleyri leika, á Padreimi, enn Drottning, thá man Keysari vinna sigr ef hann fer herferdir. „that

*) conf. Du Fresne Glossar. voce *Lasta* Tom. IV. p. 60. Henr. Spelmanni Glossar. voce *Last* et *Lest* pag. 351.

x) in Vita Sigurdi Hierosolymipetae cap. 12. ed. Suec. Tom. II. pag. 244. 245.

y) De Ludis Circensibus Lib. I. cap. 27. Thesaur. Graev. Tom. IX. pag. 245 seqq.

„that ſegia menn, their er verit hafa í Mi-
„klagardi, at Padreimr ſe á tha leid giör um
„eirn völl, ſva til at jafna, ſem eitt tun,
„vidt vel ok kringlott, oc gardr umhver-
„fis med ſteinveggiom, oc ſitia menn thar
„á, leikrinn er á vellinom, ero thar ſki-
„put margskonar forn tídindi, Æſir, Vol-
„ſungar oc Giuckungar, ſteypt af kopar
„oc málmi med ſva miklom hagleik, at
„that thykir allt kviktvera, oc ſyniſt
„mönnom, ſem their komi i leikinn; er
„leikrinn ſettr med ſva miklom braugdom
„oc velom, at ſva ſynizt, ſem menn vídi
„á lofti: thar er vid hafdr Skotelldr, Or-
„gan, Symphon oc Pſalterium, hörpur oc
„gigiür oc allskonar ſtreingleikar„, i. e.
Dimidia horum ludorum pars ad Reginam ſpectat, vnde in omni certamine vtriusque partis homines de palma contendunt; tradunt enim Graeci, Imperatorem, ſi pluribus in Hippodromo certaminibus victor euadat, quam Imperatrix, in bello etiam, ab hoſtibus, victoriam reportaturum. Referunt autem, qui Conſtantinopoli fuerunt, Hippodromum in plano et ſpatioſo campo eſſe exſtructum, rotundae intus figurae, muro vero lapideo vndique cinctum, qui commoda ſpectantibus ſedilia praebeat, dum ludi in media campi area repraeſentantur: Multae ibi rerum vetuſtarum in ſcenam producuntur fabulae, vtpote de Diis, Volſungis atque Giuc-

 kungis,

kungis, quorum figurae ex aere et orichalco tanto artificio sunt fusae, vt omnia viuos aemulentur, illique ludendo interesse, et in scenam sponte prodire videantur. Tanta denique solertia peraguntur ludi, vt viuorum hominum cateruas, mediis in nubibus equitantes videre se quis putet; adhibentur et ignes missiles, interstrepunt organis, citharis, et Psalterio soni musici variis modulaminum generibus temperati, vnde spectacula haecce mechanicis artibus facta, apparet. Caeterum quamuis tantum spectaculorum apparatum res Islandorum veterum familiaris non ferret; cursu tamen equorum (more an a Graecis accepto, dubium) apud eos etiam certatum esse, documento sunt Aurni et Thoreri exempla z): „Aurn sat fyrir Thori, ok ve„diadi vid thori, hvers theirra rofs mundi „vera skiótara; - their rido badir, fudur „um kiöl, thar til er their kvamo á skeid „that er sidan er kallat Dufunefs skeid; „enn eigi var minni skiótleiks munr rossa, „enn Thorir kvam á moti Erni a midio skei„di; Aurn undi sva illa vid felát sitt, at „hann villdi eigi lifa, ok for upp undir „fiallit, er nu heitir Arnar fell, oc tíndi „ser thar siálfr„ i. e. *Aurnus se Thorero obvium fecit, cumque celerrimum possideret equum, pecunia interposita cum eo contendebat, vtrius equus cursu praeualeret; quo facto, iuga me-* *di-*

z) Lib. Orig. Island. pag. 100.

diterranea ambo vna perequitarunt, donec in planitiem, postea Dufunefsſke id dictam, venirent; Differentia autem celeritatis equorum tanta erat, vt Aurno in medio ſtadii conſtituto, Thorerus a meta redux occurreret; quam pecuniae iacturam Aurnus adeo aegre tulit, vt ad montem, Arnarfell poſtea appellatum aſcendens, mortem ſibi ipſe inferret. Quanta cum, certamina haecce, animorum contentione peragerentur; neceſſe erat, vt horum cauſa, equi borealibus adamarentur et omni cura alerentur, quemadmodum Romanos, optimos equos, Ludis Circenſibus adhibendos, ſtudioſe curaſſe *a*), Graecos autem equis agonalibus, tantum honorem habuiſſe, vt eos coronarum *b*), imo, triſolympionicos, ſepulturae *c*), participes facerent, antiquitatum Conſulti docent.

§. XXVI.

Plus ad rem praeſentem facit altera certaminum equeſtrium ſpecies, Islandis uſitatiſſima, *Heſta-thing, Heſta-at*, vel *Heſta-vig* dicta, ab Arngrimo autem ita adumbrata *d*): „*ἱππομαχίαν appellare viſum eſt ludorum genus, quo noſtrates, equos generoſiſſimos ferociſſima pugna inter ſe committebant, vnde alii victi, abibant;*

K 5 *alii*

a) Onuphr. Panuin. de Ludis Circenſ. Lib. I. cap. 13. Theſauri Graeuiani Tom. IX. pag. 128.

b) Petri Fabri Agoniſticon Lib. II. cap. 28. Theſaur. Gronov. Tom. VIII. pag. 2059 ſeq.

c) loc. cit. pag. 2062.

d) Crymog. Lib. I. cap. 6. ed. Hamburg. pag. 56.

alii occisi, non abibant: Instigabantur autem quilibet a suo Domino vel ductore, et agebantur loris vel bacillis, quo acriorem pugnam cierent; nec alia in his ludis virorum opera fuit, id quod tamen summa animi intentione agebant, adeo vt si quis hic dolo aut mala fraude vteretur, aliave extraordinaria iniuria, saepe ad arma concursum fit, sed id praeter morem et intentionem ludorum; qui quamuis concipere se posse neget, quis hisce equiriorum ludis finis fuerit propositus, nisi forte victoriae praemium, historicos tamen veteres cum cura legenti, dubium esse nequit, eos, qua ad agilitatis et exercitiorum corporis assuefactionem, qua ad populi oblectamentum, esse institutos. Ad hos alii alios solenni formula pronocare solebant, eo plerumque effectu, vt si se prouocatus, vel in campo obuium sistere, recusaret, vel victus abiret, aduersae partis ludibriis et ignominiae exponeretur, vnde viris quibuslibet genere pollentibus et auctoritate, ne contemtui sui et existimationis iacturae daretur locus, vt semper, vbi occasio ferebat, talibus certaminibus essent pares, equos generosos hunc in finem habere necesse fuit: idque eo magis, cum Athletae, vi et iniuria pleni, et alii homines maleuoli, equos, his certaminibus exercitatissimos, alere solerent, eo tantum fine, vt bonis viris, a se ad Hippomachiam prouocatis, sed eorum ope superatis, insultarent: hoc Einari et Iokulli Holmketilli filiorum

filiorum fuit ſtudium, talem equum poſſidentium *e*): „their brædur átto einn heſt gradd„ann, brunann at lit, hann var miök ólmr „ok illr vidſkiptis, hverjom heſti rendi „hann ſem vid hann var att, hann hafdi „vígtennur ſva ſtorar, at thær varo engom „heſti til líka„ i. e. *fratres equum emiſſarium, fuſci coloris, poſſidebant, ferum adeo; vt quemcunque alium equeſtri ſecum pugna commiſſum ſuperaret, tantis autem dentibus armatum, vt nullus alius ſimiles haberet;* Vnde, quod hic inprimis agitur, equos, ob Hippomachiae exercitia, magni olim eſſe factos, praeter naturalem neceſſitatem, multorum veteris aeui Islandorum exempla probant; quorum omnium inſtar ſint: Starkadus, equo ſuo, quod in certaminibus equeſtribus ſtrenuum probauerat, valde delectatus *f*): Scarphedinus, qui cum equum formoſiſſimum, quatuor annos natum, ſed hippomachia nondum expertum, cum quatuor vna equabus Hoſculdo amico daret dono, Mordus inde eius traducendi occaſionem ſumſit, quaſi nullius pretii donum dediſſet, quo Hoſculdum, militiae quippe et armis minus aſſuetum, viri nomine indignum, ſignificare voluiſſet *g*): Thorleikus Hoſculdi, qui hominem circumforaneum, pro equo cum tribus equabus, quod equus

e) Viglundar Saga cap. 7.
f) Niáls Saga cap. 52.
g) Niáls Saga cap. 103.

equus magnus venustus et hippomachia expertus esset, non pecunia tantum sed et habitaculo ditauit *h*): Bollius, cuius equos ita describit Laxdalensium historia: „Bolli átti stódrofs thau „sem best varo kaullut, hestrinn var bædi „mikill ok vænn, oc reyndr at vígi, hann „var hvítr at lit, enn raudr topprinn milli „Eyrna fram, ok eins varo lit aull rossinn„ i. e. *Bollius, qui praestantissimus putabatur, equorum gregem possidebat; erat equus magnus formosus, in certaminibus equestribus exercitatus, colore albus, rufa autem inter aures in fronte propendebat iuba, qualis et singulis equabus erat color.* Biarnius denique equum sibi a Glumo datum, hac de causa saginans *i*): „Glumr „gaf frænda sinom raudann hest sex vetra „gamlann - setr Biarni thegar hestinn til „heys - um sumarit eptir var hanom micil „forvitni á at vita hverso hestrinn mundi „bytaz, oc rædir hann nu um, at hann vill „etia vid hest thann er átti Thorkell Gey-„rason„ i. e. *Biarnius, quem ei cognatus Glumus equum, sex annos natum dederat, foeno statim saginare coepit, sequenti autem aestate, qui se in Hippomachia equus gereret, scire cupiens, eum cum Thorkilli Geiri filii equo se pugna commissurum dixit.*

§. XXVII.

h) Laxdæla Saga.
i) Viga Glums Saga cap. 23.

§. XXVII.

Supereſt tertia ludorum equeſtrium ſpecies, *Certamen haſtarum, haſtiludium, Torneamentum k*), Islandis *Turnement* vel *Burtreid* dicta; vbi equites, loricis clypeisue, vel vtroque, tecti, haſtis autem armati, obuii in campo fiebant, haſtisque ſe inuicem excipiebant, ſinguli ſingulos de equis deturbaturi. Multa eſt huius certaminis in Vilkinorum et Niflungorum hiſtoria, aliisque medii aeui monumentis mentio; cum autem nullus eius apud Islandos fuerit vſus, prolixiori hic deſcriptione non opus eſt; prorſus vero intactum ideo relinquere nolui, quod nonnulla eius exempla Hiſtoria Danica ſubminiſtret.

§. XXVIII.

Tantus igitur cum veteres tenuerit equorum amor, tot et tam grauibus rationibus ſuffultus, mirum non eſt, equos, donaria, viris magnis, imo Regibus digna eſſe habitos. Nouit hoc Eddae Saemundi auctor, Bragium Lokio ita locutum inducens *l*):

„Mar oc mæki
„Gef ek ther míns fiár,
„Ok bæti ther ſva baugi,
„Sídr thu áſom
„Aufund um gialldir,
„Grem thu eigi gód at ther.„

i. e.

k) Du Freſne Gloſſar. in Voce *Torneamentum*.
l) in Loka-ſenna.

i. e.

Equum et gladium
Ex meis facultatibus; tibi dabo
Teque ita pecunia deliniam
Ne Diuos hic
Inuidia persequaris,
Nec Deorum in te concites iram.

Nec ignorauit fabulosus alias Gautreki Vitae auctor *m*), Gautium Regem, inter alia maximi pretii donaria, equos Hrosketillo amico dedisse tradens: Probat autem Canutidarum Historia *n*), Falcones et equos, pretiosissimis donariis accenseris: Clarissime tamen Einari Thveraaensis Verba, quibus, Olao Sancto Noruegiae Regi, Insulam Grimsoam, quam sibi ab Islandis concedendam petierat, omnino quidem denegandam, ast amicitiam et munera, eius fastigio digna, suasit offerenda *o*): „Hitt Kalla „ek vel fallit, at menn sendi Kongi vin„giafir, their er that vilia, Hauka edr he„sta, tiölld edr Segl, edr adra thá luti er „sendilegir ero„ i. e. *Illud autem magis convenire puto, vt qui volunt, donaria, amicitiae indicia, Regi mittant Falcones vel equos, aulaea vel vela, aliasue res, quae mittantur dignas.* Quamuis autem superstitiosus hicce et immensus equorum amor, apud Islandos iamdudum cessauerit,

m) cap. 8.
n) cap. 68.
o) Sturl. Chron. Norv. ed. Suec. Tom. I. p. 604.

ſauerit, dantur tamen et hodie inter borealis Islandiae, inprimis Toparchiae Scagafiordenſis incolas nonnulli, qui magna equorum armenta alunt et equitando adeo ſunt dediti, vt fere in prouerbium abierit: *„nordan rida uppa heſt:* Caetera equi Islandici, licet mediocris ſint magnitudinis, eam vel hodie laudem ſibi propriam ſeruant, vt, laborum quippe patientiſſimi, et diutius, et, quoniam quidam eorum non ſuecuſſant, commodius Danicis equitem ferant; Hinc, quod mediocrem ſtaturam, fortitudinem, pedumque celeritatem, Ionſtono *p*) annotante, cum Norvegicis, cum Anglicis vero, quorum bonam partem non ſuccuſſare Polyd. Virgilius tradit *q*), mollem greſſum habeant communem; omni non caret veri ſpecie, vt maxima eorum pars e Noruegia olim transuehebatur, ita aliquam etiam eorum partem ex Hibernia et Anglia in Islandiam primitus aduectam eſſe.

p) de Quadruped. p. 21.
q) loc. cit. pag. 9.



L. B.

Quo ſimilis exempli gloria exciten-
tur et alii, egregium, Diligentiae, Legum obſeruantiae, Ingenii, atque in ſcribendo facultatis, hoc ſpecimine, praeſtantiſſimus Auctor, nobis dedit documentum; quod, exemplo prorſus nouo, tres, vno tempore, Collegii eiusdem *Medicei*, iudicio Senatus Academici, ex Islandia Lecti, Socii tuentur, patrium decus, tantum abeſt, non deſerens, quin aliis etiam facem extollat et praeferat, Antiquitatum veris amatoribus recte atque ordine commendat

Scribebam Hauniae
X. Kal. Mart. CIↃIↃCCLV.

I. P. Ancherſen. D.

18

